



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XXX. Legati. Exacta Disputatio de Capacitate Societatis Jesu ad
Hæreditates & Legata, ad quæ Jus prætendit alius substitutus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

quod hi, si Testimonium ferre nolint, debeant ostendere se causam istam excusandi habere; aliis coguntur, cum adversus ipsos sit Præsumptio, quod ex prava affectione renuant. At Privilegiati causam aliam excusantem afferre non debent, nisi Privilegium, sed ipsis probari debet, quod Testimonium illorum sit necessarium, & aliter veritas haberi nequeat. Videantur ulterius, quæ dixi ad tit. de testib. cog. n. 7.

8.

Exceptio unica, quæ in Casu præsentis excusationem à Testimonio deponendo præberet, esse posset metus gravis offensæ apud Dominum, & damni inde consequentis; nam ex communi DD. si Testi, vel suis grave damnum imminet ex Testimonio, is ab obligatione hoc deponendi absolvitur, ex ratione generali, quod nemo hujusmodi Of-

ficia teneatur præstare cum gravi suo, vel suorum damno, nisi publicum bonum, cui bonum privatum cedere debet, hoc exigat. Certè si in præsentis Specie Facti tale damnum, ex Testimonio, deposito contra Dominum, familiaribus ejus secuturum timeri posset, excusarentur. In rei autem veritate hujusmodi damni periculum nullum esse ostendit satis qualitas Personæ Sempronii, quippe de quo ratione Dignitatis, in qua consistit, urgentissima Præsumptio est, quod curlum Justitiæ sistere nequaquam velit: adeoque, nisi contrarium probetur, in hærendum dictæ communi doctrinæ, juxta quam ad Testimonium dicendum compelli universi possunt, qui causam ab obligatione hac excusantem monstrare non possunt.

CONSILIUM XXX.

Immissionis in Possessionem Legati ob prætensam incapacitatem ejus, ad quem id prius ex mente Testatoris perventurum erat.

SUMMARIUM.

1. Facti Species.
2. 3. Dubium facit apparens incapacitas Societatis Jesu ad Legatum Quæstionis.
4. Religiosi S. J. ante Professionem aut ultima vota Coadjutorum sunt capaces Successionis Hæreditaria.
5. Secus Professi aut Coadjutores Formati.
6. Collegia & Domus Probationis S. J. capaces sunt Successionis ex Testamento, si ratione sui instituantur.
7. Imò etiam Domus Professæ, cum distinctione tamen Bonorum.
8. 9. 10. Collegia aut Domus Professæ non possunt succedere in Bona suorum Religiosorum ab intestato: bene autem ex Testamento, vel Renuntiatione circa Bona ante Professionem acquisita.
11. An Societas possit præterdere hæreditatem ab intestato loco sui Professi, qui ante Professionem omnia Jura sua eidem cessit?
12. seqq. Rationes dubitandi.
18. Et seqq. Solvuntur.
24. Statuitur sententia affirmativa. Societas Jesu potest à quocunque hæres institui.
25. Etiam ab ipsis suis Religiosis.
26. Spes Juris acquirendi potest deduci in contractum.
27. In Renuntiatione Juris acquirendi attenditur status præsens, quo renuntiatio fit: non autem incapacitas Renuntiantis eo tempore, quo Jus illud deferri contingit.
28. Hinc Ordo Religiosus succedit loco Reli-

- giosæ sui Professi, licet hic eo tempore incapax sit Successionis.
29. Scholastici Societatis capaces sunt Legatorum.
30. 31. Urbi & Collegia & Domus Professæ.
32. Modo non relinquuntur sub conditione repugnante Instituto.
33. An etiam Professi capaces sint Legatorum? Rationes dubitandi.
43. Afferitur eorum Capacitas.
46. seqq. Respondetur ad rationes Adversariorum.
55. Collegiis & Domibus Probationis possunt relinqui Legata annua.
56. Etiam Domibus Professis, si habeant rationem unius Legati.
57. Secus si ob successivam solutionem habeant rationem Bonorum stabilium. Ad hæc Domus Professæ non potest habere Jus Civile.
58. Neque Jus naturale Justitiæ.
59. Potest Domui Professæ legari Census, non tamen annui Reditus ipsius Censûs, nisi forte ad modicum tempus.
60. Et seqq. Ad longius etiam tempus acceptari possunt, si hæres ultrò & sponte solvat.
65. 66. Vel ex obligatione, quam habet respectu testatoris; modo respectu Societatis obligationem Justitiæ non habeat.
67. seqq. Legata annua possunt relinqui etiam singulis Professis.
70. 71. Qua tamen competent Domui, in qua ille degit, juxta capacitatem illius.
72. Nisi Præpositus Generalis aliter disponat.
73. seqq.

73. seqq. Potest Scholasticus Societatis in favorem Collegii renuntiare Juri ad Legatum annuum ante Professionem sibi relictum, & post Professionem à Collegio percipiendum.
76. In Legato Religiosis Societatis post Professionem relicto, Societas excludit substitutum:
77. In eo autem, quod Societatis Scholastico cessit ante Professionem, admitteret substitutus, si ille Dispositionem de Bonis suis nullam confecerit.
78. Vi Renuntiationis tamen in favorem Collegii facta, Jus Legati transfertur in Societatem, excluso substituto:
80. 81. Et quidem in perpetuum, si Legatum relicto sit sub conditione, si sine Liberis decedat, nisi substituta sit causa pia.
82. Et seqq. Potest Societas recipere Hæreditates vel Legata, cum onere Missarum, modo huic satisfieri possit per externos Sacerdotes.

86. Collegiis & Domibus Probationis competit actio ad exigendum in Judicio hæreditatem, vel Legatum sibi relictum.
87. Et seqq. Idem dicitur de Domibus Professis, sub certis tamen conditionibus:
91. Eriam quoad Legata annua, si habeant rationem unius Legati.
92. Pro Legato Professis relicto agere possunt Collegia: Imò etiam Domus Professa, nisi sint Reditus annui.
93. Idem statuitur de Legatis ante Professionem relicto illi, qui renuntiat Bonis suis in favorem Societatis.
94. seqq. Resolvitur tota Causa, nondum factum esse locum Substitutioni.

FACTI SPECIES.

I.

Testator moriens condidit Testamentum, in quo Cajo suo Nepoti, ejusque Uxori vitâ durante reliquit certos annuos Reditus. His defunctis, substituit filios Sempronii cum onere, ut eorum sumptibus in suffragium Animæ suæ singulis hebdomadis celebrarentur duo Sacra in Ara S. Annæ, quam ipse statuit. Secutâ horum morte, disposuit, ut succederet Confraternitas S. P. Accidit jam, ut Filii Sempronii omnes obiissent, exceptis duobus, qui in præsentia vivunt; sed sunt Professus quatuor Votorum in Societate Jesu. In hoc eventu dicta Confraternitas prætendit, memoratos Professos esse incapaces hujus Legati: proinde postulat, se immitti in possessionem annuorum Redituum, utpote quos contendit ad se fuisse devolutos. Quæritur, an petitio hæc Jure subnixâ sit?

2. Ratio totius Confraternitatis.

DUBIUM facit 1. Institutum Societatis JESU, juxta quod illi, qui per Professionem, aut ultima Vota Coadjutorum Formatorum eidem adscripti sunt, omnis Hæreditariæ Successionis sunt incapaces. 2. Qualitas Legati, quippe quod est annuum ad vitam Legatariorum, in quo specialis est difficultas; cum enim id, quod Religiosus acquirit, acquirat Monasterio suo, procedere incapacitas videtur saltem in Casu, si unus, vel uterque istorum Patrum vivat in Domo Professa, quippe quæ juxta idem Societatis nostræ Institutum recipere annua Legata, saltem ad longum tempus, non potest. 3. Onus Legato huic annexum; voluit enim Testator, ut ii, qui deinceps fruituri essent Legato suo annuo, curarent singulis septimanis in suffragium Animæ suæ dici duas Missas: repugnat enim Instituto Societatis, ut recipiantur Legata cum onere Missarum. Proin omni ex parte videtur adesse incapacitas ex parte Societatis ad hoc Legatum,

consequenter purificata esse conditio, sub qua Testator in Legato isto annuorum Redituum substituit Confraternitatem S. P. quod inde probatur; quia conditio, quâ positâ, aperiretur dictæ Confraternitati substituta Jus succedendi in hoc Legatum, à Testatore posita est, si decessissent omnes filii Sempronii. Hæc autem conditio haberi debet pro impletâ; nam ex filiis Sempronii, qui remanserunt in sæculo, nullus superstes est, duo autem nostri Patres, qui adhuc vivunt, sunt Professus in Societate, in qua, cum illa sit incapax Successionis Hæreditariæ, Professio idem operatur, quod operatur Mors Naturalis: ut adeo iidem Patres, licet superstites sint, ad effectum succedendi in hoc Legato verè dici mortui possunt. Elucidari Difficultas hæc potest per sequentes Quæstiones.

QUÆRITUR I.

An, & quomodo Societas Jesu, ejusque Religiosi Successionis Hæreditariæ sint incapaces?

Certum est 1. Eos Societatis Religiosos, qui Professionem, aut ultima Vota Coadjutorum Formatorum nondum emisissent, esse capaces Successionis tum ex Testamento, tum ab intestato, ut cum cæteris Societatis nostræ DD. bene docet,

4. Supponenda.

Molin. tom. 1. de J. & J. D. 139. col. 3. v. illi, qui snito.

Rationem dat

Sanch, l. 7. moral. c. 27. n. 2.

Quia cæteri Religiosi Religionum, habentium Bona in communi, possunt institui Hæredes, & Legatarii. Ergo à fortiori prædicti Religiosi Societatis Jesu; nam illi nullius Domini acquirendi, vel retinendi capaces sunt: hi autem acquirunt & retinent ad tempus Dominium suorum Bonorum, quamvis non habeant illorum administrationem absque Superioris licentiâ, ut habetur expresse

D d 3 in

in Bulla Gregorii XIII. incipit *Quantò fructuosius. edità Calend. Febr. 1582.* & altera ejusdem Pontificis, incipit, *Ascendente. edità 8. Cal. Jun. 1584.* & constat ex Instituto Societatis Exam. c. 4. §. 2. & §. 5. item Const. p. 4. c. 4. §. 5. *Declar. Lit. E.* Et p. 6. c. 2. §. 11. *Declar. Lit. H.* Sanch. l. 7. cit. c. 12. num. 1. fin.

Contra

5.

Certum est 2. Professos, & Coadjutores Formatos Societatis Jesu omnis Successionis Hæreditariæ sive ex Testamento, sive ab intestato incapaces esse.

Patet ex Bullis Pontificiis Num. preced. allegatis, ubi Gregorius XIII. utitur iisdem verbis, quibus *Clem. exivi. 1. §. cum enim. de V. S.* FF. Minores Successionis Hæreditariæ incapaces reddens. Proinde sicut, quando isti, ita & quando illi instituuntur Hæredes, Institutio erit invalida, & Hæreditas pertinebit ad Substitutum, vel Cohæredem, aut venientes ab intestato, ita, ut neque æstimatio debeatur Instituto. Sanch. l. 7. cit. c. 27. n. 24.

Rationem dat idem

Sanch. l. cit. c. 12. n. 6.

Quia non minus Societas, quam Religio FF. Minorum, ex vi Instituti sui est incapax succedendi. In tali autem Religione, quæ Successionis Hæreditariæ incapax est, Professus reputatur tanquam mortuus quoad omnia Successionis Jura, nec retinet Jus Suietatis, ut bene docent

Bartol. in *Auth. ingressi. in lectur. 2. n. 64. C. de SS. Eccl.* Aretin. in c. in presentia. 8. n. 93. de probat. Paril. in l. Gallus. §. & quid, si tantum. num. 50. ff. de Liber. & posthum. Marius Salamoniensis *ibid. n. 40.* apud Sanch. num. 6. cit.

6.

Certum est 3. Collegia, & Domus Probationis Societatis Jesu ratione sui, scilicet, si ipsæ Domus, aut Collegia sine respectu ad subditum Professum, vel Coadjutorem Formatum instituuntur, Institutionis Testamentariæ capaces esse, quæcunque sint illa Bona, in quæ instituuntur, adeoque sive mobilia, sive immobilia sint, aut annui redditus, ad tempus, vel in perpetuum eis relicti, modò Institutio talis non fiat sub conditione, quæ speciali Paupertati, quam proficitur Societas, adversetur. Ratio est, quia tales Domus, & Collegia ex primæva sua institutione possident Bona immobilia in communi, & annuos Reditus, ut expresse dicitur

in Bulla Pauli III. incipit *Regimini*, Julii III. incipit *Exposcit*, Gregorii XIII. incipit *Ascendente*. & habetur in Instituto ejusdem Societatis Exam. c. 1. §. 4. & Const. p. 4. c. 2. §. 5. & p. 6. c. 2. §. 1. *Declar. Lit. A.* Sanch. lib. 7. *Moral.* c. 27. num. 1. Palao *tract. 16. D. 3.* p. 10. num. 1. fin.

Poterunt proinde hujusmodi Collegia, & Domus, si ratione sui Hæredes instituuntur, titulo Institutionis talia Bona sibi relicta capere, & etiam in Judicio vindicare. Similiter

Certum est 4. Non minus Domos Professas Societatis institui à quocunque Hæredes posse Bonorum etiam immobilium, modò ista occasione opportuna vendant, & pretium in usus necessarios convertant, nisi illa res stabilis sit necessaria, aut valde conveniens ad habitationem, aut recreationem Nostrorum; talem enim rem retinere possunt.

Molin. *tom. 1. de J. & J. D. 195. col. 2.*

§. *Regula proposita.* Sanch. c. 27. cit. n. 15. Palao p. 10. cit. n. 2. Pellizar.

Mán. Regul. tract. 4. c. 2. n. 125.

Ratio est, quia nullo Jure Domus Professas Societatis prohibentur Hæredes institui: non Jure communi; quia in hoc de his Domibus nullus est textus. Imò Regula generalis est, posse quamcunque Religionem Hæredem institui, nisi peculiariter exprimat, & excipiat, ut excipitur Religio FF. Minorum.

Clem. exivi. 1. de V. S.

Non etiam per Constitutiones Societatis; nam

p. 6. c. 2. §. 12.

Ubi de hac re Sermo est, solum statuitur, quòd Professus, & Coadjutores Formati Successionis Hæreditariæ sint incapaces, & nec Domus Professas, nec earum Ecclesiæ, aut ipsa etiam Collegia eorum nomine possint succedere. Unde, cum particularis Exceptio firmet Regulam in oppositum, recte infertur, easdem Domos Professas, non minus, ac Collegia, ratione sui Hæredes posse institui. Ex quo sequitur, easdem Domos Professas rerum sibi relictarum acquirere Dominium, & Jus Civile ad eas repetendas, modò si stabilia Bona sint, & illis ipsæ Domus non egeant, ut dixi, opportuno tempore illa vendantur.

Sanch. c. 27. cit. n. 19. Pellizar. c. 2.

cit. n. 117. Et patet ex Bulla Julii III. incipit, *Exposcit debitum*, & Const. p. 6. c. 2. §. 5. *Declar. Lit. E.*

Excipitur, si Domui Professas relinquatur Reditus annui, & stabiles; nam cum talium Redituum illa capax non sit, nullum etiam ad istos, si relinquuntur eidem, Jus Civile acquirit, juxta Bullam Julii III. cit. ubi per voces *Jus Civile*,

ut Pelliz. l. cit. n. 116. explicat, non solum intelligitur, quòd Domui Professas nulla competat Actio ad Reditus tales sibi relictos petendos coram Judice, sed etiam, quòd neque acquirat ullum Jus, aut Dominium humanum, quod vocant Naturale, & in conscientia.

Certum est 5. Nec Collegia Societatis, nec Societatem Professam ab intestato posse succedere in aliqua Bona suorum Religiosorum,

Sanch.

Sanch. l. 7. mor. c. 27. n. 14. Pellizar. tract. 4. c. 2. n. 123. & 125.

Et quidem de Bonis Professorum, & Coadjutorum Formatorum constat ex Bulla Gregorii XIII. incipit *Quanto fructuosius*. & alia ejusdem incipit *Ascendente*. ibi: *Nec propter emissam hujusmodi Vota publica, aut per mortem ab intestato in illorum, sicut nec in Professorum Bonis, Domus ulla, aut Ecclesia, vel Collegium dicta Societatis succedere potest*. Consequenter omnia Professorum, & Coadjutorum Formatorum Bona, nisi de his antea disposuerint, statim, ac Professionem, aut Vota publica in Societate emisserint, devolvuntur ad Hæredes ab intestato, perinde, ac si morte naturali fuissent defuncti. Ratio est, quia per Professionem, & Vota publica spoliatur se omni dominio, & possessione. Igitur ne Bona illorum Domino careant, ad alium transire debent: non transeunt autem ad Societatem ob incapacitatem ipsius ad succedendum, ergo ad Hæredes eorum ab intestato, cum nemo alius ad ea Jus habeat.

Molin. tom. 1. de J. & J. D. 139. col.

3. V. tam Professi. Et D. 140. princ.

Sanch. n. 14. cit. Palao tract. 16. D.

3. p. 10. n. 1.

Dixi autem ab intestato; nam ex Testamento, vel Renuntiatione Religiosorum suorum, si istam, vel illud fecerint, antequam Professionem solennem, aut Vota publica in Societate emitterent, possent Collegia, & ipsa Societas Professæ succedere in Bona illorum; nam iis, qui post Vota biennii renuntiant Bonis suis, integrum per nostras Constitutiones est Societati aliquid relinquere, sive deinde hoc fiat titulo Hæreditatis, aut Legati, vel Donationis: nec Domus Professæ reperitur hujus Institutionis incapax, sed solius Juris succedendi nomine suorum Religiosorum; quod commune est cum Collegiis, & aliis Societatis Domibus, ut paulo antea vidimus.

Sanch. c. 27. cit. n. 16.

Sed distinguendum tamen est inter eos Societatis Religiosos, qui post edita Vota biennii, & Renuntiationem in favorem Societatis factam, nondum emisserunt Professionem solennem, aut Vota ultima Coadjutorum; & inter eos, qui per Professionem, aut Vota publica Societati jam arctius adstricti sunt; nam

9.

Certum est 6. Si iis, qui post Vota biennii in favorem Societatis, vel certi Collegii renuntiaverunt Bonis, & Juribus suis presentibus, & futuris, antequam Professionem, aut Vota publica emittant, deferatur Hæreditas, Collegia Societatis succedere in hæc Bona posse,

ut bene notat Sanch. l. 7. mor. c. 16. n. 22.

Ubi assert præjudicium; nam ita, cum Frater Michaël de Hugarra, Societatis ejusdem Religiosus obiret in illa post Vota biennii, facta renuntiatione Bonorum omnium in

favorem Collegiorum Complutensis, & Pampelonensis, per duplicem sententiam Consilii Navarrae dictis Collegiis adjudicata est Hæreditas, quæ eidem Fratri Michaëli ante hujus mortem delata fuit, etiam cum exclusione Amitæ ejus, quæ in casum, quo ipse sine Liberis decessurus esset, per Testamentum fuit substituta: sicque memorata Collegia retinuerunt sibi ea Bona, exclusâ Amitâ substitutâ,

ob textum c. in presentia. 8. de Probat. Addit Sanch. l. cit. idem se credere, si Domum Professam Societatis idem Religiosus instituisset Hæredem, aut in favorem ejus prædictam renuntiationem generalem fecisset; quia potest Domus Professæ institui quoque Hæres à suis Religiosis, vel à quocunque alio. Aliud est, si talis Religiosus Societatis, qui post Vota biennii, nullâ de Bonis suis dispositione factâ, decedit; nam Religiosi Societatis, qui biennii Vota emisserunt, non ut aliorum Ordinum Religiosi, quæ post ea Vota acquirunt, Societati, vel Collegio, in quo degunt, sed sibi acquirunt: ut adeo in ejus Bona, nisi in favorem illius renuntiationem fecerit, Societati nullum Jus acquiratur; consequenter tali casu locus sit Successioni vocatorum ab intestato.

Certum est 7. Etiam de Bonis, & Juribus Professorum, & Coadjutorum Formatorum Societatis, si hæc jam ante Professionem, aut ultima, & publica Vota quæsitâ sunt illi, qui in favorem Societatis iisdem renuntiavit, Societatem capere illa posse. Ratio est, quia in Bullis Pont. & Instituto Societatis solum excluditur Successio Hæreditaria in Bona Professi, vel Coadjutoris sui Formati, aut hujus intuitu in Bona, quorum Hæreditas aliâ ad ipsum deferretur. Atqui in Bona, quibus Religiosus Societatis renuntiavit in hujus, vel Domorum ejus favorem, ipsa Societas non succedit Jure Hæreditario, sed Donationis liberalis. Igitur Bullæ Pontificiæ, & Institutum Societatis non prohibent illam in his Bonis Religioso suo succedere.

DUBIUM, in utramque partem agitatum est, an Societas prætereunda possit Hæreditatem ab intestato loco sui Professi, aut Coadjutoris Formati, qui ante Professionem, aut Vota publica omnia Bona, & Jura sua Collegio, aut alteri Domui ejusdem Societatis cessit? Negat Cardinalis de Lugo

Respons. Moral. lib. 4. dub. 4. n. 2.

Ubi ait, in hoc casu Collegium, in cujus favorem Renuntiatio facta est, non posse succedere in Hæreditatem, post Professionem, aut ultima Vota publica renuntiantis delatam ab intestato, prætextu Renuntiationis, ante hæc Vota, aut Professionem ab isto editam factæ. Idipsum putat sentire P. Thomam Sanchez.

L. 7. Moral. c. 9. n. 25. & præcipue c. 15. n. 110.

Ubi negat; eum qui Majoratum possidet, posse

10.

11.

Dubium & ratio dubitans

postea ex vi Renuntiationis, vel Testamenti, antequam Professionem in Religione, incapaci eum Majoratum possidendi, edat, confecti, usumfructum illius relinquere alicui alteri, durante vita ipsius; additque, talem Majoratum, facta Professione, statim transire ad sequentem Successorem. Ex quo idem Card. de Lugo infert, multo minus posse per Testamentum, aut Donationem transire Hereditatem ad Societatem, vi renuntiationis favore illius facta, si Hereditas hæc obveniat, quando renuntianti ob incapacitatem istius, per Professionem, aut Vota publica inductam Hereditas ulla amplius deferri nequit.

12.

Nititur de Lugo *l. cit. n. 3.* his fundamentis. 1. Quia nemo potest dare, vel donare id, quod suum non est, nec erit. Atqui hoc faceret Religiosus Societatis, qui in hujus favorem renuntiaret Hereditati, primum post Professionem, aut Vota publica, à se emissam, deferendæ; nam talis Hereditas, quippe cum adhuc ponatur vivere is, de cujus Successione agitur, tunc, quando Renuntiatio facta est, non pertinuit ad Renuntiantem, nec etiam eo tempore, quo Successioni Hereditariæ locus aperietur, ob incapacitatem, quam inducit in Societate Professio, pertinebit; ut proinde Jus ad illam non possit censi comprehensum in Renuntiatione, quam Renuntians in favorem Societatis fecit, non obstante amplitudine illa, quæ Societati, aut alicui ejusdem Domui donavit Bona omnia, & Jura præsentia, & futura.

13.

2. Si Petrus renuntiasset in favorem Joannis omnia, quæ ipsi Petro post Professionem ab hoc emissam dabunt Amici sine consensu sui Prælati, nihil certè renuntiasset in favorem Joannis; quia post ejus Professionem nihil prorsus Amici ei dare possunt absque consensu Prælati. Atqui nec ad Professum in Societate ob ejus incapacitatem ulla potest spectare Hereditas. Igitur pari ratione inutilis erit Renuntiatio, quæ ille ante Professionem in favorem Societatis renuntiat Hereditatem, quæ ad eum ab intestato post Professionem, in Societate emissam, deferretur.

14.

3. Non magis deferri potest Hereditas Professo Societatis, quam naturaliter mortuo: nam quod Mors Naturalis operatur, id ipsum quoad effectum successionis Hereditariæ operatur Professio in Societate; igitur sicut ille, qui ante mortem naturalem renuntiat Hereditatem, quæ ei post mortem advenire potest, nihil donat Renuntiatario, ita nec Religiosus Societati, vel Collegio ejusdem, in cujus favorem renuntiat Hereditatem, quæ sibi post Professionem, aut Vota publica, in Societate emissam, obventura esset; nam par hujus cum illo est ratio, quippe qui & ipse reputatur civiliter mortuus, ubi Professionem, aut Vota publica in Societate ediderit. Neque obest, quod hæc Mors Civilis introducta sit fictione Ju-

ris, & per hanc Jus acquisitum lædi non possit; nam

4. Hæc Juris fictio, quæ Professus in Religione incapaci Successionis Hereditariæ ad effectum succedendi habetur pro civiliter mortuo, non alia ratione vitiat Renuntiationem Hereditatis post Professionem obventuræ, nisi quatenus est causa, vel potius index incapacitatis ad succedendum, sicque facit, ut ob defectum conditionis requisitæ effectu suo frustretur Renuntiatio alteri facta; non enim aliter Religiosus in favorem Societatis Hereditatem renuntiare potest, nisi sub conditione, si illi hæc deferatur. Hæc autem ei post Professionem ab intestato deferri non potest ob incapacitatem, quam ex vi Professionis habet ad Successionem Hereditariam. Deficit ergo conditio necessaria, ut talis Hereditas censi possit comprehensa esse in Renuntiatione facta ante Professionem emissam, & sic illa quoad hanc manebit inutilis. Neque dici potest, quod hoc modo Renuntiationes, quæ in Societate ante Professionem, aut Vota publica fieri solent, futuræ sint mera cæremonia sine effectu; nam

5. Licet hæc Renuntiationes, in favorem Societatis factæ, inutiles sint ad effectum, ut vi talis Renuntiationis Societas capere possit Hereditates, post Professionem, aut Vota publica obventuras, tamen illæ servare possunt ad Hereditates, quæ post Renuntiationem deferuntur Religioso Societatis ante Professionem emissam, aut adeptum Gradum Coadjutoris Formati, ante quos Gradus etiam post Vota biennii ipse capax est Hereditariæ Successionis, & ideo potest Jus suum renuntiare in favorem Societatis, vel alterius. Unde si Novitius, aut Scholasticus Societatis post Vota biennii renuntiavit Hereditatem Patris viventis in favorem alterius, tunc si Pater moriatur, antequam renuntians sit Professus, vel Coadjutor Formatus, & Hereditas ad ipsum vel ab intestato, vel Jure filiationis pertinere deberet, pertinebit ad illum, in cujus favorem renuntiata fuit: consequenter, ut *Num. 9.* dixi, etiam ad Societatem, si ipsa, vel ejus Domus renuntiataria sit. Contrà si renuntians factus sit Professus, vel Coadjutor Formatus, Hereditas non ad Renuntiatarium, sed ad eum devolvetur, qui ab intestato succedere Renuntianti debet. Ratio disparitatis est, quia ante Professionem, & Vota publica Religiosus Societatis adhuc Jus ad Hereditatem, eo tempore sibi delatam, habet, quod proinde in Renuntiatarium transferre potest: contrà in Professo, & Coadjutore Formato Jus istud cessat, atque adeo in Renuntiatarium est intransferibile.

6. Si vi Renuntiationis, à Religioso Societatis ante Professionem, aut ultima Vota factæ, Societas, aut Collegium, in cujus favorem renuntiavit, capere adhuc Hereditatem, post Professionem, aut dicta Vota obven-

obventuram, posset, tota incapacitas Professorum, & Coadjutorum Formatorum ipsiusque Societatis ad acquirendas Hæreditates, & Successionem ab intestato in persona illorum esset de solo titulo; nam facta Renuntiatione Honorum, Jurium, & Hæreditatum, quæ ipsi Professores post Professionem obvenirent, non minus essent capaces Successionis Hæreditariæ Professus Societatis, quam Professus aliarum Religionum capacium, siquidem tam ex Testamento, quam ab intestato acquirerent Hæreditates Societati, sicut eidem, & non sibi acquirerent; si ipsi, & Societas essent capaces: quod publicè illorum, ut ait Card. de Lug. l. 4. Respons. Moral. dub. 4. n. 11. ait, sed de malo nihil aliud esset, quam habere eundem effectum, mutato nomine, & per aliam viam. Hæc præcipua sunt Fundamenta prædicti Cardinalis, qui tamen addit, alios Viros doctos aliter sensisse; se autem soliti dicere suum sensum, & iudicio Advocatorum, & Prælatorum remittere; an occurrente casu, his justè, & prudenter intentanda, vel sustinenda sit.

Verim hæc Argumenta non adeo invincibilia sunt, ut solutionem non patiantur. Ad 1. Distinguendum est inter Jus ad Hæreditatem, & Bona futura; & inter ipsam Hæreditatem, & Bona, quæ possent futuris temporibus obvenire renuntianti; nam, licet ipsa Hæreditas, & bona futura, utpote cum sint Hæreditas, & Bona viventis, tunc, cum ille Renuntiationem fecit, ad ipsum non pertinuerint, neque etiam deinde, quando ille, de cuius Hæreditate agitur, ad eundem ob incapacitatem, quam inducit Professio, & Status Coadjutorum Formatorum in Societate, pertinere possint, tamen Renuntiationis tempore ad Renuntiantem actu pertinet Jus ad talia bona, & Hæreditates, utpote quod Jus, & Spes verè in bonis Renuntiantis est.

L. conditionis. 1. C. de pact. l. nam hoc modo. 11. ff. de Hæred. vel act. vendit.

L. nec emptio. 8. ff. de contrah. empt.

Consequenter in Renuntiatarium transferri potest. Sufficit ergo, quod Renuntiatarius in quem Jus istud transfertur, sit capax succedendi in talia Bona, & Hæreditates. Ita autem capax est Societas, quippe cui per Constitutiones, & Institutum suum solum repugnat succedere in Bona, & Jura sui Professus ex vi Professionis ab hoc emissæ, non verò ex vi factæ ab hoc Renuntiationis. Patet in Bonis defacto à Professo acquisitis, quæ si renuntiaverit iste ante Professionem in favorem Societatis, ista juxta dicta Num. 10. capere, & acquirere sibi potest.

Ad 2. Negatur paritas; nam Petrus, qui ante Professionem in favorem Joannis renuntiavit omnia, quæ post Professionem à se emissam Amici sine consensu sui Prælati eidem dabunt, nec res istas, nec jus ad illas unquam habuit, nec habebit, cum Pro-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

fessus sine consensu Prælati sui nihil possit acquirere. At Renuntians ante Professionem in Societate habuit saltem Jus, & spem ad Hæreditatem, quod proinde Jus, & spem transire in Renuntiatarium potest. Clarum hoc est, si Renuntiatarius non sit Societas, sed alius extraneus; nam hic absque controversia succedit in Hæreditatem, ad quam Jus sibi competens Religiosus Societatis ante Professionem eidem renuntiavit, licet Hæreditas ista deferatur post Professionem à renuntiante editam.

pro quo præjudicium ex Rouito decis. 85. num. 4. affert Tancred. qq. Moral. p. 2. tract. 1. q. 6. n. 13. ubi proponit hanc facti Speciem. Duo Fratres Germani, antequam Professionem emitterent, fecerunt Renuntiationem omnium Jurium &c. in favorem Joannis Vincentii. Hic Hæredem instituit Marcellum, & præmottuus est Joanni Baptista communi Avunculo. Postquam etiam iste mortuus est, quærebatur, an vi Renuntiationis, factæ in favorem Joannis Vincentii, in Joannis Baptista Hæreditatem succedere possit Marcellus? Post longam discussionem N. 25. concludit Rouitus pro Marcello, ex ratione, quod spes futura Hæreditatis fuerit penes Religiosos donantes: consequenter eam potuerint renuntiare, cumque defacto illam renuntiaverint in favorem Joannis Vincentii, succedere in hujus Hæreditate debeat Marcellus, quippe qui succedit in omnia ipsius Jura.

Ad 3. Licet verum sit, quod renuntians Hæreditatem, quæ sibi post mortem naturalem obventura sit, nihil faceret, tamen,

ut Tancred. q. 6. cit. n. 27. notat, aliter res se habet, quando quis renuntiaret omnia Jura ad futuras Hæreditates: tunc enim valide renuntiaret; quia renuntiat Jus præsens & illud transfert in Renuntiatarium, præsertim, quando sumus in casu mortis Civilis ob Professionem in Religione capace ex vi Professionis, aut ex vi Renuntiationis sibi factæ. Argumentum hic propositum probat nimium; probaret enim, quod neque is, qui ante Professionem in Religione capaci renuntiat omnia sua Jura, & Bona in favorem tertii, transferre possit Jus ad Hæreditatem, quæ post Professionem ab ipso editam deferetur, quippe qui non minus per Professionem sit incapax acquirendi dominium, ac incapax ad hoc est, qui proficitur in Societate. Sicut ergo ille, non obstante incapacitate suæ personæ, per Renuntiationem, ante Professionem in Religione capaci, in favorem tertii celebratam, excludit Religionem suam in Bonis renuntiatis, ita & ille, qui ante Professionem in Societate editam in hujus favorem renuntiat, excludet Succedentes ab intestato, & utroque casu ad Renuntiatarium deferetur Hæreditas.

Tancred. q. 6. cit. n. 7. qui n. 8. cum Palao tract. 16. D. 2. p. 18.

Rationem dat, quia talis Hæreditas non amplius

E e

plius

18. Solvuntur rationes dubitandi.

19.

20.

plius defertur Renuntianti, sed ei, in cuius favorem Renuntiatio facta est ob Jus acquisitum per Renuntiationem,

ut fatetur Sanch. l. 7. mor. c. 6. n. 2.
Sicut ergo ob Renuntiationem factam a Professo in aliis Religionibus succedit Renuntiatarius in Hæreditate post Professionem obveniente, non obstante, quod tali Professo eo tempore deferri non possit Hæreditas, ita pari ratione, facta Renuntiatione in favorem Societatis, ista in Hæreditate obveniente post Professionem Religioso suo, succedet, non obstante, quod isti ob Professionem non possit deferri Hæreditas. Proinde discrimen inter Religionem, quæ succedendi capax est, & inter eam, quæ est incapax, hoc solum erit, quod prior, nisi Professus ante Professionem aliter disposuerit, in Bonis, & Juribus, suo Professo competentibus, succedat ex vi Professionis in ea edita, ex vi istius autem in Societate vel alia Religione incapaci edita succedere non possit Societas, vel alia Religio quoad hoc Societati similis.

21.

Ad 4. Professio, quæ est mors Civilis, tunc æquiparatur morti naturali, quando non potest habere diversum effectum. In Casu præsentis Quæstionis potest habere diversum effectum à Morte naturali, quatenus non extinguit Jura in tertium translata, sed solum illa, quæ Professus ipse eo tempore habebat. Et hinc,

ut notat Sanch. l. 7. cit. c. 3. n. 81.

Si aliquis, gravatus restituere post mortem suam Hæreditatem Titio, Professionem faciat in Ordine incapaci Successionis e. g. Minorum, quamvis facta Professione, Hæreditas debeat tradi Fideicommissario ex ratione, quod Professio in tali Religione sit Mors Civilis, si tamen ipse ante Professionem Venditione, Donatione, aut quovis alio Contractu Jus ad ea Bona, tempore vitæ suæ ad se pertinens, in alium transtulit, hic debet frui Bonis illis, durante vita naturali Professi; quia fictio, quæ Professio habetur pro morte naturali, non debet operari in præjudicium tertii, cui per translationem Jus est acquisitum. Quod idem

Sanch. l. cit. num. 82.

ait dicendum, etiam si Bona non essent alienata in illum tertium antea, sed tempore Professionis Professus renuntiasset expressè, ut ab hora suæ Professionis tertius ille Jus hoc obtineret. Addit laudatus

Sanch. c. 13. num. 57.

idem procedere de eo, qui habet Majoratum, & proficitur in Religione incapaci succedendi; nam juxta ipsum potest ille ante Professionem Testamento, venditione, vel alienatione disponere pro tempore vitæ suæ in favorem tertii, ita, ut ad hunc, durante vitâ naturali Professi, spectent fructus, & non ad Successorem in Majoratu. Proinde idem dicendum in Casu Quæstionis, in quo Religiosus Societatis ante Professionem renuntiavit in favorem certi Collegii: Conse-

quenter huic obesse non debet incapacitas ipsius Professi ad succedendum in Hæreditate, post Professionem delata, quippe quæ hoc casu non defertur Professo Societatis, qui est incapax, sed Collegio ob Jus per Renuntiationem, in favorem istius factam, concessum tempore, quo illud valde concedere Professus poterat,

ut docet Sanch. l. 7. c. 6. cit. n. 2. ubi etiam monet, dum traditur Hæreditas Renuntiationem à Religioso Societatis fieri sub tacita conditione, si Hæreditas deferretur, intelligendum esse, si deferatur vel ipsi renuntianti, vel ei, qui per Renuntiationem causam ab eo habet; cum enim juxta Regulas Logicas sufficiat ad veritatem Propositionis, si ex membris alternative propositis unum verificetur, satis erit, si Renuntiatarius ratione sui sit capax Successionis, nec in Renuntiante considerabitur incapacitas, quam ille habet post Professionem, sed attendetur, an capax ille fuerit ipso tempore Renuntiationis à se facta. Ponitur autem, quod iste tempore Renuntiationis fuerit capax; item ostensum ex dictis, quod Societas Jure per Renuntiationem acquisito possit succedere, Consequenter nec capacitas in renuntiante, nec conditio, sub qua Renuntiatio facta est, deficit.

Ad 5. Quoad successionem Societatis in Hæreditates ab intestato delatas, ex vi Renuntiationis in favorem ipsius factæ competentem, ut monet Tancred. q. 6. cit. n. 4.

non est faciendum discrimen, an Renuntians emisit Professionem, vel ultima Vota in Societate, an verò solum Vota biennii; nam neque huic potest Renuntiationem à se factam acquirere amplius Hæreditas, quæ ad ipsum alias devolveretur ab intestato, quippe qui juxta Constitutiones Societatis

p. 3. c. 1. §. 7. Lit. F.

absolutè renuntiavit juri, & actioni ad omnia Bona, & Hæreditates. Sicut ergo Societas, si Religiosus ipsius, Votis biennii ligatus in hujus favorem renuntiavit, vi talis Renuntiationis succedit in Hæreditatem, alias ad hunc ab intestato deferendam, non verò succedit, si Renuntiatio facta sit in favorem alterius, ita, vi similis Renuntiationis, ante Professionem factæ in favorem Societatis, ista succedet in Hæreditatem, alias deferendam Professo, non verò succedit, si iste renuntiaverit alteri. Paritas videtur esse manifesta; quia, cum Societas non succedat ex vi Professionis, aut Votorum, à suo Religioso in ea emissorum, sed ex vi Renuntiationis sibi factæ, & ex vi Juris jam tum sibi traditi, & à se acquisiti, non est attendenda qualitas Renuntiantis, quam iste tempore delatæ Hæreditatis habet, an scilicet sit Professus, vel ligatus solum Votis biennii, sed tantum considerandum, an ante Professionem Bona sua renuntiaverit Societati; ea enim

enim Renuntiatione positâ, illa ex vi suarum Constitutionum est capax succedendi.

Sanch. l. 7. *Moral. c. 6. n. 2.* Palao *tract. 16. D. 2. p. 18. n. 5.* Tancred. *p. 2. tract. 1. q. 6. n. 6.* & alii ab hoc *citt.*

nam ex quo quis renuntiavit Jus suum, licet habuerit causam incertam pendentem de futuro, ut est Hæreditas viventis, statim isto se privat, & extinguit in sua persona, illudque transfert in Renuntiatarium, ut ex Instituto probat

Bolognet. in l. *conditionis. 1. num. 20. C. de Pact.*

& constat à paritate cum Professo in alio quocunque Ordine Religioso, in cujus Hæreditatem, non obstante ipsius Religiosi Professi incapacitate ad acquirendam Hæreditatem tempore, quo ab intestato ipsi deferenda hæc esset, succedit non Monasterium, sed Renuntiatarius ex vi Juris sibi acquisiti per Renuntiationem factam tempore, quo non erat Professus.

23. Ad 6. Adhuc incapacitas succedendi in Hæreditates, quam Societas ex vi Instituti sui habet, effectum suum sortitur; facit enim, ut, seclusâ Renuntiatione in favorem suum factâ, nihil de Bonis, ac Juribus, quæ Professo suo, aut Coadjutori Formato competeant, sibi valeat vindicare: in quo consistit discrimen Paupertatis, quam profertur Societas, diversâ ab aliis Religionibus; nam ista ex vi Professionis, à Religioso suo edita, nisi hic ante Professionem aliter disposuerit, acquirunt sibi hujus Bona, & Jura, possuntque in ista succedere nomine Religiosi sui Professi; Societas vero nomine sui Professi, vel Coadjutoris Formati, imò & Scholastici, aut Coadjutoris non Formati non potest succedere in horum Bona, & Jura, sed hæc, nisi de iis isti aliter disposuerint, devolvuntur ad Hæredes ab intestato post horum mortem, aut illorum Professionem, aut Vota publica. Hoc verò non impedit, quin eadem Societas succedere in Bona, & Jura Religiosi sui possit ex vi Renuntiationis, ab hoc factæ in favorem ipsius; nam,

ut post Sanch. l. 7. *Moral. c. 27. n. 16.* notat Tancred. *p. 2. tract. 1. q. 6. n. 9.*

Societas solum est incapax Juris succedendi nomine Religiosorum suorum,

& clarè patet ex *p. 6. Const. c. 2. §. 12. ibi, Non solum particulares Professi, vel Coadjutores Formati Hæreditaria Successionis non erant capaces, verum nec Dominus, nec Ecclesia, nec Collegia NB. eorum ratione.*

Igitur, cum Exceptio firmet Regulam in oppositum, si Religiosorum suorum nomine, & in horum persona non succedat, à Successionis jure non excludetur. Ita autem non succedit, si succedat ut Renuntiataria; nam tunc succedet ex Jure, per Renuntiationem in favorem sui factam sibi quaesito,

R. P. Schmalzgrueber *Consil. Tom. 1.*

quippe quæ Renuntiatio est quædam Donatio, cujus Donationis titulo, sicut ab aliis extraneis, ita à suis Religiosis capere sibi relicta potest, ut idem Sanchez l. *cit.* monet.

Ex his patere videtur Responsio ad Questionem Num. 4. propositam.

DICENDUM enim, non videri repugnare Societatis Instituto, si ex vi Renuntiationis in favorem suum à Religioso suo ante Professionem, aut Vota publica emissâ factæ, adeat Hæreditates, quæ etiam ab intestato post ista Vota deferuntur.

Ita contra Card. de Lugo docet, & probat fusè Tancredi *qq. Moral. p. 2. q. 6.*

n. 4. ubi ait, Societatem Renuntiatariam succedere in Hæreditatem Fratris Professi, qui ante Professionem renuntiavit omnia sua Bona, Jura &c. in favorem Societatis. Consentit Palao *tract. 16. D. 1. p. 18. in fin.* ubi dicit, si quis in Societate post Vota biennii Hæreditati Paternæ renuntiavit in favorem Societatis, & vivo Patre, Professionem, seu Vota Coadjutorum Formatorum in Societate fecit, & postea decessit Pater, vivente filio, Societatem succedere debere in Hæreditatem Paternam. Idem quasi iisdem verbis asserit Pellizar. *Man. Regul. tract. 2. c. 9. n. 11.* ubi ait, factâ Renuntiatione Hæreditatis Paternæ à Novitio, vel Scholasti Societatis in hujus favorem, si Pater moriatur post filii renuntiantis Professionem, Societatem posse succedere.

Istis Doctoribus, quamvis à Card. de Lugo in contrariam partem allegatus, apertè adimplatur

Sanch. l. 7. *Mor. c. 27. num. 15.*

ubi docet, Societatem posse Hæredem institui, & donatariam, & n. 16. addit, hoc modo eam posse succedere suis Professis, si ante Professionem sit Hæres instituta, aut Donataria ab ipsis facta; neque distinguit inter Bona præsentia, & futura: proinde manifestat planè, se putare, Societatem Renuntiatariam ex vi Renuntiationis, & Institutionis sibi factæ succedere in omnibus tam præsentibus, quam futuris, & speratis Religiosi sui Bonis, si istis ille renuntiavit ante Professionem in favorem ipsius, aut eam in his Hæredem instituit; est enim de ratione Hæredis, & Donarii universalis omnium præsentium, & futurorum etiam ex causa de futuro, universaliter succedere. Accedit Præjudicium in Curia Placentina, ubi Hæreditas, ab intestato relicta à fratre Professi nostri, qui ante Professionem omnia Bona, & Jura sua præsentia, & futura renuntiavit in favorem Ecclesiæ Societatis ibidem, post longam disquisitionem Causæ, adjudicata tandem eidem fuit contra reliquos Agnatos, qui eam Hæreditatem ab intestato ad se pertinere prætenderant.

R e a

R a

24.
Deciditur
Questio.

Ratio Responsioni, per autoritatem Doctorum Societatis ita confirmatae, satis manifesta videtur assistere. Nam 1. Societas JESU, hujus Collegia, & ipsa etiam Domus Professa possunt à quocunque Haeredes institui, aut per Donationem accipere non solum mobilia, sed etiam immobilia, & in his verum Dominium acquirunt, saltem ea conditione, ut posteriora Bona, scilicet immobilia, si necessaria, aut valde utilia ad habitationem, vel honestam Recreationem Nostrorum non sint, opportuna occasione Domus Professa vendat,

ut patet ex dictis Num. 7. & allegato ibidem textu Instituti Societatis *part. 6. Const. c. 2. §. 5. Declar. lit. E.* & docent Molin. *tract. 1. de J. & J. D. 195. col. 2.* Suar. *tom. 3. de Relig. l. 8. c. 17. n. 9. & 10.* Card. de Lugo. *l. 4. Respons. Moral. dub. 10.* Tambur. *Decal. l. 8. c. 7. §. 1. n. 8.* Tancred. *p. 2. qq. Moral. tract. 1. q. 1. n. 3.* contra Giovagn. *l. 1. Resol. 85. n. 1. & seqq.* Ubi ex ignoratione Instituti nostri contendit Societatem JESU esse incapacem cujuscunque Haereditatis, & num. 12. addit, eandem Societatem nihil proprii posse habere, nec communiter, nec privatim, praeter victum, & vestitum.

Igitur

25.

2. Eadem Societas institui Haeres poterit etiam ab ipsis suis Religiosis. Quamvis enim per Institutum suum illa non succedat nomine, & in persona Religiosorum suorum, ex eo, quod illa non representet ipsum Religiosum in ordine ad Successionem Haereditatis, ipsasque Haereditates, & Jura ad illas, sive ex Testamento, sive ab intestato suis Religiosis provenientia, ex *vi Professionis*, à suis Religiosis emissæ, non acquirat,

ut cum reliquis Societatis nostræ DD. fatetur Tancred. *p. 2. tract. 1. q. 1. n. 4.* & patet ex dictis Num. 8.

tamen isti ante Professionem suam, vel ultima Vota donationem bonorum suorum, & Jurium facere eidem Societati per hujus Institutum non prohibentur: consequenter horum Bona, & Jura, si vel per Donationem inter vivos, vel per ultimam Voluntatem Societati transcripserint, ab hac illa vindicari poterunt, ut de nondum Professis, & Formatis patet ex Num. 9. de Professis, & per ultima Vota ipsi adstrictis quoad Bona, & Jura actu talibus Religiosis quaesita, ostensum est Num. 10. Nam talis Renuntiatio est verè Donatio Societati facta. Porro

26.

3. Ab hac Renuntiatione, & effectu transferendi Jus in Societatem non sunt excludenda Bona, & Haereditates, post Professionem, & Vota publica deinceps deferendæ; nam,

ut bene Bolognet. *in l. fin. n. 3. C. de pact. monet,*

in omni Jure quarendo duplex consideratio fieri debet: Aliquando enim consideratur ipsum Jus, i. e. ipsa res acquirenda, & istud Jus est semper de futuro, neque censetur esse actu in Bonis nostris, nec de eo valet dispositio

L. si filius. 14. Et l. constante. 11. C. de Donat.

nisi sub conditione Renuntiatio fiat, scilicet, quando res illæ fuerint acquisitæ: aliquando autem consideratur spes, quæ speramus acquirere, & hæc spes est in Bonis nostris, eaque de præsentis competit, nec consideratur, an sit fundata in causa præsentis, vel in causa de futuro, propinqua, ut in filio sperante Successionem Patris decrepiti, an remota, ut in Agnato, vel remotissima, ut in Cognato decimi Gradus; quia quæcumque sit, potest deduci in Contractum, cum sit semper aliquid existens in rerum natura, semperque in commercio nostro. Unde sicut jactum retis, ita & spes Haereditatis viventis æqualiter quis potest in contractum, pactumque deducere.

Tancred. *p. 2. cit. q. 3. n. 1.*

qui proinde *q. 6. n. 24.* ad id, quod objicit Card. de Lugo, scilicet, quod renuntians Haereditati deferenda, renuntiaverit id, quod non habet, negat hoc verum esse in eo, qui renuntiavit omnia Jura; nam renuntiavit, quod habet in præsentis, nempe Jus ad succedendum sive ex Testamento, sive ab intestato. Neque obstat, quod, quando Haereditas deferretur, renuntians jam sit Professus Societatis, adeoque incapax succedendi; nam

4. In hac re non consideratur incapacitas, quam ille, qui in favorem Societatis disponit, & omnia Bona, ac Jura sua renuntiat eidem Societati, post Professionem à se emissam habebit; sed attenditur status præsens, scilicet, an renuntians tum, quando Renuntiationem fecit, fuerit habilis ad Jura sua transferenda in Renuntiatarium; quia,

ut bene advertit Sanch. *l. 7. moral. c. 6. n. 2.*

quando Renuntiatio fit tempore habili, & postea advenit Casus, in quem collata fuit, censetur negotium contractum tempore Renuntiationis, & ad illud retrotrahitur.

L. nec emptio. 8. princ. ff. de contrab. empt. l. potior. 11. §. videamus. 1. ff. qui potior. in pignor.

neque tunc, quando moritur ille, de cujus Haereditate agitur, ista deferretur Professo Societatis, sed ei, in cujus favorem facta est Renuntiatio, idque vi Juris, sibi à Professo concessi eo tempore, quo valide illud concedere poterat, scilicet ante Professionem. Proinde incapacitas succedendi, quam Professus habet eo tempore, quo deferretur Haereditas, non obstat tali delationi, quippe cum

cum Societas Renuntiativa non succedat ex Jure, quod Professus eo tempore Societati concedet, sed ex Jure, quod ei dedit renuntiando, & sine dubio non extinguitur per Professionem. Idipsum

28.

5. Confirmari potest exemplo Professi in aliis Ordinibus Successionis Hæreditariæ capacibus; nam, licet illi, qui in tali Religione Professionem emittunt, post eam nihil possint sibi acquirere, adeoque ad eos tunc nulla possit deferri Hæreditas, sufficit tamen, quod Religio, in qua professus est, capax sit ex Jure per Professionem sibi acquisito. Ita autem capax est etiam Societas ex Jure sibi quæsto per Renuntiationem, à Professo suo factam tempore habili. Igitur pari modo potest illa succedere ex vi talis Renuntiationis, quippe quæ, ut *Num. 23.* dictum est, solum est incapax succedendi nomine, & in persona Professi sui. Proinde per subsequentem incapacitatem Professi Jus Societatis, quod ille in hanc per Renuntiationem tempore habili factam, transcripsit, & ante Renuntiationem habuit, non extinguitur; donavit enim per istam id, quod ad ipsum tunc pertinuit, scilicet Jus, & Ipem ad illa Bona futura, licet ipsa Hæreditas, & Bona tunc ad illum non pertinuerint.

Consentit Rouit. *Decis. 85. n. 25.* ubi expressis terminis de Renuntiatione Religiosorum, erat, inquit, *penes Renuntiantes hac spes ex causa tunc subsistente de presenti, dum erat in gradu successibili, & Jure sperare poterat aliquam Successionem Consanguineorum:* Pro quo citat *Afflict. decis. 350. post n. 4.*

Parum ergo refert, quod Professus, quando defertur Hæreditas, non sit amplius capax Successionis, & ad eum Hæreditas non possit pertinere; nam sufficit, si pervenire possit ad Societatem, quæ vi suarum Constitutionum est capax succedendi in Bonis etiam futuris, & in quacunque Hæreditate sui Religiosi, non ex vi Professionis in ea emissæ, sed ex vi factæ Renuntiationis, & habet Jus datum à suo Religioso, quod iste in præsentem habuit, & tunc quando dedit, poterat dare.

Tancred. *p. 2. tract. 1. c. 6. n. 26.*

Sed quamvis ita res sese habeat, & Successiones hujusmodi non videantur esse contra substantiam Paupertatis specialis, quam proficitur Societas, nihilominus multis videntur illæ saltem non admodum concordare cum Paupertatis ejusdem Puritate. Hinc judico occurrente casu, quo defertur ab intestato Hæreditas, quæ aliàs pertinuisset ad Professum, vel Coadjutorem Formatum Societatis, consulendum Præpositum Generalem, ut dijudicet, an in tali casu concurrant circumstantiæ tales, quæ monstrent, in eo casu non solum salvâ substantiâ, sed etiam puritate Paupertatis Societati propriæ, ab hac adiri posse Hæreditatem.

Quod hucusque dictum est de Successionibus ab intestato: idem ferè sentiendum de Successione ex Testamento. Ubi tamen puto distingui debere, an Institutio talis facta sit intuitu ipsius Professi, vel Coadjutoris Formati, an verò intuitu ipsius Societatis, vel certi alicujus Collegii, aut Domus. Si primum; omnimoda est paritas cum eo, cui defertur Hæreditas ab intestato, de quo hucusque in utramque partem disceptatum est. Si secundum, validum est Testamentum, quo Professus, vel Coadjutor Formatus in Societate instituitur Hæres.

Manz. *de Testam. tit. 6. n. 183.* Hainold. *tom. 2. de J. & J. tract. 6. num. 286.* Wiestner *ad tit. de Testam. n. 123.*

Ratio est, quia præcipuè attendi debet, cuius respectu, & cuius contemplatione aliquid fiat. Si dubium sit, cuius contemplatione Institutio facta sit, juxta ea, quæ movent

Sanch. *l. 7. Moral. c. 13. n. 61.*

agens de Usufructu relicto, præsumitur Institutio facta contemplatione Societatis, sicut in simili, quod relinquitur Servo, præsumitur relictum contemplatione Domini; sicut enim, quod Servus acquirit, Domino suo acquirit,

Bartol. *in l. fin. in fin. C. de Usufr.* ita, quod acquirit Professus, acquirit Monasterio suo.

QUÆRITUR II.

An Societas, ejusque Religiosi, maxime Professi, & Coadjutores Formatii capaces sint Legatorum Relictorum à Testatore?

DE iis, qui in Societate Vota biennii ediderunt, nullum est dubium, quin Legati cujuscunque capaces sint, quippe qui, ut *Num. 4.* dictum est, etiam Institutionis Hæreditariæ, & Successionis ab intestato capaces existunt. De his proinde distinguendum est, an jam renuntiârint Bonis, & Juribus sibi competentibus, an verò nondum ejusmodi Renuntiationem fecerint. Si primum, Legatum tale acquiritur Societati; saltem si in hujus favorem Renuntiatio facta sit: de quo infra *Num. 78. seqq.* Si secundum, Religiosus nondum Professus, aut Formatus tale Legatum acquirit sibi, sique post ejus acquisitionem, nulla Dispositione de Bonis suis factâ, decesserit, ut in aliis ejus Bonis, ita & in tali re legata, si adhuc existet, succedunt; qui vocantur ab intestato; nam in hoc passu idem dicendum est, quod de reliquis ejus Bonis, de quibus *Num. 9.* dictum est, scilicet si quis post Vota biennii mortuus fuerit, & non disposuit, vel non disposuit validè de Bonis suis, quæ habebat: illa Bona pertinebunt ad Hæredes ab intestato,

29.

Supponen-

da.

stato, qui deberent illi succedere, si ipse mansisset in Sæculo.

Less. l. 2. de Just. c. 41. dub. 10. Molin. tom. 1. de Just. D. 140. col. 2. §. eo ipso. Tancred. QQ. Moral. p. 2. tract. 1. q. 1. n. 4. fin.

consequenter neque Hæreditas, neque res nomine Legati ab ipso acquisitæ debentur Societati.

Sanch. l. 7. moral. c. 27. n. 2. Tancred. q. 1. cit. n. 5.

30.

Similiter extra controversiam est, posse Societati, ejusque Collegiis, ac Domibus, etiam Professis, Legata quæcunque relinquere, & ab his acceptari oblata, modo non relinquuntur sub conditione repugnante Instituto, & Paupertati speciali, quam proficitur Societas, sive deinde Bona legata mobilia sint, sive immobilia, ita tamen, ut si hæc posteriora Domui Professæ legata sint, & huic ad habitationem, vel honestam Recreationem Nostrorum necessaria non sint, opportuna occasione vendantur.

Sanch. l. 7. Moral. c. 27. n. 15. Pelliz.

Man. Reg. tract. 4. c. 2. n. 127. & cum his omnes Societatis nostræ Doctores.

Ratio est, quia in his Bonis etiam Professæ Domus possunt Hæredes institui, ut dictum est *Num. 7.* Igitur à fortiori iis possunt talia Bona legari.

31.

Hinc sequitur, teneri Hæredem rem stabilem, Domui Professæ relictam, illi tradere, ut ipsa eam tempore opportuno possit vendere. Nec est in arbitrio Hæredis eam vendere, sed hoc pertinet ad Domum Professam, quæ ad hunc effectum acquirit illius dominium, sicut quilibet alius Legatarius acquiret dominium ejus absolutum.

Sanch. c. 27. cit. num. 20.

Similiter sequitur, eundem Hæredem teneri Domui Professæ rem talem tradere simul cum fructibus ex ea perceptis, casu, quo cuilibet alteri Legatario ad id teneretur; quia non minus acquirit jus, & dominium illius, ut sibi tradatur vendenda, & dum non venditur, ad fructus, quam quilibet alius Legatarius.

Sanch. l. cit. num. 21.

32.

Addidi *Num. 30.* *Modo non relinquuntur sub conditione repugnante Instituto, & Paupertati speciali, quam proficitur Societas.* Nam Domui Professæ rei legata possessio duplici modo potest relinqui, scilicet sub conditione, repugnante Paupertati Societatis, & simpliciter absque tali conditione. Si primum, sub tali conditione illa non potest acceptare tale Legatum, ita, ut nec ejus æstimationem Hæres ex rigore teneatur restituere Societati: acceptare tamen illud potest, si id Hæres velit præstare liberum, & rejecta tali conditione.

Suar. tom. 4. de Reliq. l. 4. c. 9. n. 15.

Si secundum, tale Legatum relinqui Societati, & ab hac acceptari potest. Estque perinde, sive Testator illud relinquat sub expressâ conditione, ut convertatur in utili-

tatem Societatis eo modo, quo licite poterit, sive simpliciter leget talem rem, & nihil declarando; nam hi duo modi æquiparantur in Jure, & quoties contrarium non explicatur, Testator intelligitur legare eo modo, quo melius potest.

Suar. l. cit. n. 16.

Circa Professos, & Coadjutores Formatos Societatis, an Legati capaces sint, controversiam movet adversæ Partis in hac Causa Patronus; contendit enim pro Negativa, pro quo adducit sequentia Argumenta. 1. Idem Professus, & Coadjutores Formati incapaces sunt Successionis Hæreditariæ. Ergo etiam Legatorum; nam de his eadem, quæ de illa pugnat ratio, quia scilicet Professio in Societate fit mors quædam Civilis, incapacem reddens Professum omnis Juris habendi, & acquirendi circa Bona temporalia: ut proinde, si, ut in hac Specie Facti contingit, Legatum relictum sit Religioso Societatis cum onere, ut post mortem suam illud restituat alteri à Testatore substituto, statim post Professionem locus sit Successioni ejusdem substituti in tali Legato, ut in præcis terminis docuerunt

Panciro. Conf. 114. n. 4. Et Conf. 115.

n. 3. Giovagnon. lib. 1. resol. 85. n. 5.

& seqq. Peregrin. de Fideicommiss. art.

28. num. 63. Staiban. Jun. resol. 97.

num. 16. Mans. consult. 107. num. 25.

& seqq. Card. de Luca de Regular. dis-

curf. 63. n. 4. Fatinell. resp. 48. n. 5.

& 6. Palm. D. 298. n. 6. Et Torr.

apud eund. decis. 299. num. 15. Rota

Recent. p. 4. decis. 321. sub n. 1. & p. 9.

decis. 32. n. 5.

Neque satisfacit Responsio, quod Mors hæc Civilis, naturali æquiparata, respiciat duntaxat acquisitionem Hæreditatum, non verò Legatorum; nam

2. Quòd Professus, & Coadjutores Formati in Societate incapaces sint etiam Legatorum, clarè eruitur ex Formula Instituti oblata Paulo III. & insertâ hujus Constitutioni, incipit *Regimini*, editæ pridie Idus Martii 1543. ubi sic habetur, *Cum autem experti fuerimus, jucundiorē, puriorē, & ad proximam adificationem aptiorē esse vitam ab omni avaritia contagione quàm remotissimam, & Evangelicam Paupertati quàm simillimam, cùmque sciamus Dominum nostrum Jesum Christum Servis suis, Regnum DEI solum inquirentibus, necessaria ad victum, & vestitum esse subministrarurum, voveant singuli, & universi perpetuam Paupertatem, declarantes, quòd non solum privatim, sed neque etiam communiter possint pro Societatis sustentatione, aut usu ad Bona aliqua stabilia, aut ad proventus, seu introitus aliquos jus aliquod Civile acquirere; sed sint contenti, usum tantum rerum sibi donatarum ad necessaria sibi comparanda recipere: ubi verba, Non -- possint -- Jus aliquod Civile acquirere restringi nullo pacto possunt ad so-*

33.
Ratione
Dubium

34.

las Hæreditates, sed vere, & proprie comprehenduntur etiam Legata.

Gloss. marg. in *Clem. quavis. V. aliqua. de for. compet.* Paris. Conf. 71. n. 59. lib. 3. Decius. Conf. 455. num. 6. lib. 2. Cravett. Conf. 178. n. 29. Et Conf. 294. fere per totum. Giovagn. Conf. 42. num. 12. lib. 1. Rota coram Duran. decis. 126. num. 11.

35. 3. Fortius urget Constitutio Gregorii XIII. incipit *Ascendens*. edita 8. Cal. Jun. 1584. ubi expressè disponitur, quod Professi, & Coadjutores Formati Societatis JESU sint omnis Hæreditaria Successionis incapaces, nihilque omnino proprii juxta Constitutiones ejusdem habere possint; verba enim nihil omnino important universalem negationem sine ulla prorsus distinctione, vel temperamento.

Alex. Conf. 13. n. 7. lib. 2. Et Conf. 72. num. 10. §. secundo respondeo. Tusch. Lit. D. Concl. 313. n. 2. Barbol. disc. Usufr. 214. n. 3. Rota coram Seraphin. decis. 461. num. 3. Et coram Benincasa decis. 208. n. 15.

Quod servari videmus in Renuntiatione, in qua, licet non sit facta individua mentio Legati, istud tamen comprehenditur, si Renuntiatio concepta sit verbis amplis, & effectivatis,

ut ait Rota decis. 130. n. 3. p. 10. recent. decis. 208. n. 11. coram Benincasa. in *Firmana Fideicommissi*. 17. Mart. 1702. §. quidquam non refragantibus, coram Muro, & in *Romana Legati*. 9. Mart. 1714. §. etenim, in fin. §. his. coram Crispo.

36. quod confirmatur, quia 4. Legatum est quedam pars, & delibatio Hæreditatis,

ut ait Florentinus *L. Legatum*. 116. princ. ff. de Legat. 1. ibi, *Legatum est delibatio Hæreditatis, quæ Testator ex eo, quod universum Hæredis foret, alicui quid collatum velit.*

Imò aliquando Legatarius quoad aliquos Juris effectus dicitur quasi Hæres.

L. id tempus. 14. §. in re legata. 1. ff. de Usurp. & Usucap. Peralt. in Rubr. de Hæred. instit. Surd. Conf. 440. n. 11. Lopez de Legat. dissert. 6. num. 94. & alii apud istos.

Ut adèò, dum Pontifex voluit, Professos, & Coadjutores Formatos Societatis incapaces esse omnis Successionis Hæreditariæ, dicendum utique sit, eum voluisse declarare, quòd etiam incapaces sint Legatorum; nam dictio illa *Omnis* partes omnes amplectitur, & nihil penitus excludit.

L. Juliano. 68. princ. ff. de Legat. 3. 1. hoc articulo. 29. ff. de Hæred. institur. Dec. Conf. 30. num. 4. Menoch. Conf. 156. num. 23. Card. de Luca de Fideicommiss. disc. 108. n. 1. Et in *Mantiss. eod. tit. disc. 16. n. 21.*

Quod præsertim verum est, quoties concur-

rit mens, & voluntas disponentis, prout contingit in casu, quo Legatum sit Professo, vel Coadjutori Formato Societatis, ubi incapacitas Legatorum magis consentanea est puritati Instituti ejusdem Societatis, à S. P. Nostro in summa Paupertate fundati; nam, ubi de mente hac constat,

ut arg. 1. in *Conventionibus*. 219. ff. de V. S. Lopez. dissert. 6. cit. n. 93. ait, *Legatarius continetur non in verbis, sed ex mente contrahentium, & sic aliquando dicitur Hæres improprie &c.* Atqui de mente S. Fundatoris Nostri satis videtur constare; nam

37. 5. Ipsa ratio finalis, ob quam Professi, & Coadjutores Formati in Societate ex vi Instituti sui incapaces sunt Hæreditariæ Successionis apertè videtur opponi acquisitioni Legatorum; sic enim dispositum est à S. P. Nostro, & primis ejusdem Sociis, tum quia experimento sic didicerant, illam ad proximi ædificationem esse aptiorem vitam, quæ foret Evangelicæ Paupertati simillima, tum etiam, quia sciebant, celestem Patrem necessaria ad victum, & vestitum Servis suis subministratum: ut proinde pateat, eundem S. Fundatorem Nostrum, & Pontifices, qui Institutum Societatis confirmarunt, prohibere voluisse omnem, & quamcunque acquisitionem, sive per viam Institutionis Hæreditariæ, sive per modum particularis Legati res aliqua deferretur, cum utraque è diametro adversetur causæ finali dispositionis prædictæ

Arg. 1. profectitia. 5. §. fin. ff. de Jur. dot. De Præc. de Interpret. ult. vol. 1. 3. interpret. 4. dub. 1. n. 6. Mans. apud Card. de Luca de *Offic. vacab. Resp.* 3. in *Romana pretii Officiorum*. n. 17. Ofalch. decis. 124. n. 17. & in præcis terminis Giovagnon. *Resp.* 85. n. 12. lib. 1. ibi, *Idcirco non potest dici, quòd hac Venerabilis Religio (scilicet Societas JESU) capere possit ex Testamento; quia hoc modo possidere posset Bona stabilia, & deluderetur mens, & intentio Institutorum Religionis, & Summorum Pont. Quare dicendum est, dictam Religionem in Bonis Professorum absolute nullo modo succedere posse.* Et infra sub §. Nam Gregorius. in fin. addit. *Sed non exinde voluit Summus Pontifex admittere, quòd Societas posset alià viâ succedere Professo; quia hoc adversaretur Institutioni ipsius Religionis &c.*

38. 6. Eadem mens S. Fundatoris Nostri, & Summorum Pontificum Institutum Societatis confirmantium clarè colligitur, quia per idem Institutum Religiosis Societatis, qui nondum Professus, aut Coadjutoribus Formatis adscripti sunt, concedit, ut retinere Bonorum suorum Dominium ad tempus possint. Igitur per Argumentum à sensu contrario, postquam Professus sunt, aut ad Gradum Coadjutorum Formatorum pervenerunt, incapaces sunt habendi, retinendi, &

& acquirendi Dominium Bonorum suorum, ex Juris Regula, quod nempe concessum ad tempus, post illud prohibitum censetur.

L. si unus. 27. §. si cum reo. 1. Et ibi Bald. ff. de Pact. Berojus Conf. 116. n. 15. & 16. lib. 1. Angel. Conf. 184. n. 2. Mantic. de tacit. & ambig. l. 22. tit. 25. n. 15. Marefcott. var. Resol. l. 2. c. 144. n. 17. Rota coram Duran. decis. 402. n. 2. & decis. 218. n. 1. & seqq. p. 5. recent.

Si autem retinendi, & acquirendi Dominium incapaces sunt Professi, & Coadjutores Formati Societatis, per consequens etiam incapaces sunt non minus Legatorum, quam Hæreditatum; nam in Legatis recta via Dominium in Legatarium transfertur.

L. à Titio. 64. ff. de furt. l. Legatum ita. 80. ff. de Legat. 2. Camarel. de Legat. l. 12. tit. de Legat. univers. Requis. 2. n. 1. Rota decis. 181. n. 10. p. 14. recent. Et in Foro-Sempron. Legatorum. 22. Januar. 1714. §. 12. coram Anfaldo.

Accedit, quia
39. Per viam Legati possunt relinqui, & aliquando relinquuntur meliora, ac pretiosa Hæreditatis Bona, quorum acquisitio altissima Paupertati, quam proficitur Societas, magis contraria esse posset; quam consecutio Hæreditatis, eò, quod Legatum non possit esse damnosum, cum sit Donatio: contra Hæreditas, utpote continens Jura activa, & passiva, onerosa esse potest. De Legato extat textus

L. filius. 117. §. apud Marcellum. 3. ff. de Legat. 1. Et notat Castren. ibid. n. 2. Peregr. Conf. 42. num. 9. & seqq. lib. 6. Lopez de Legat. Dissert. 18. n. 15. & 16. Rota Recent. decis. 254. n. 12. p. 6. decis. 80. n. 15. p. 10. & decis. 101. p. 18.

De Hæreditate autem constat ex pluribus Juris textibus, & DD. quos cumulat

Rota decis. 197. n. 17. p. 15. recent.

40.

8. Pro hac ipsa incapacitate ad capienda Legata, Professi, vel Coadjutoribus Formati Societatis relicta, Patronus Confraternitatis S. P. ait, concordare DD. nam, ut ipse quidem asserit, præter unum aliquem Scriptorem, quem modicæ, seu nullius auctoritatis esse tradit,

de Marin. Resp. Jur. l. 2. c. 195. n. 6. omnes concorditer sentiunt, Jesuitas Professos, & Coadjutores Formatos nihil capere posse ex Testamento: pro qua parte allegat Giovagn. resp. 85. per rotum lib. 1. Novar. in Summ. Bullar. p. 2. Comment. 35. ad Constit. Gregorii XIII. incipit Ascendente. n. 3. & 5. Staiban. resol. 162. per totam, & præcipue num. 20. art. 2. ubi, Secundo, inquit, responderetur, videri istis Religiosis Mendicantibus & eorum locis prohibitam esse omnem acquisitionem tam per viam Institutionis universalis, quam relicti particularis & c.

9. Consentit Card. de Luca de Regular. disc. 63. sub num. 19. Et in Annotat. ad Conc. Trident. disc. 35. sub num. 11.

ubi proponit controversiam de Legato, alicui ex Nostris ante Professionem relicto in Testamento, quod post Professionem illius perfectionem accepit, & §. postquam vero Respondet in verba sequentia, postquam vero ista Professio (scilicet in Societate) secuta est, tunc contrahitur circa Paupertatem quadam omnimoda incapacitas per quadam speciem, vel assimilationem illius incapacitatis, quam contrahunt Minores Observantes, vel Capuccini; non quidem circa correctionem, aut Retentionem, & Administrationem pecuniarum jure simplicis Administrationis, ac precarii usus ad nutum Superiorum, cum id, quod prohibitum est Minoribus, & Capuccinis, non sit prohibitum Professis hujus Societatis, sed ad effectum, ut nil penitus retineant de Bonis, quæ prius habebant, minusque retineant habilitatem illa assequendi ex persona, & jure proprio, sive sit ab intestato, sive ex Testamento condito ante Professionem, quod postea per mortem Testatoris perfectionem accipiat, quoad dispositiones universales, vel particulares directas, aut ex eodem quoque ad obliquas, & fideicommissarias successiones, & in summa, ut in iis, quæ Saculum, ac personam concernunt, habeatur omnino promortuo tanquam Religiosus Professus Religionis incapax in communi. Ita de Luca. Hinc

10. Juxta eundem Card. de Luca de Regular. discurs. 63. cit. n. 18. & seqq. distinguendum est inter Legata, Religioso Societatis obvenientia ante emissam Professionem, & inter Legata post illam eidem relicta. Priora, sicut & alia Jura, quæ ante Professionem competebant Religioso Societatis, statim cessant, & amittuntur, facta Professione, nec in eis ex Professorum persona Domus ulla, aut Ecclesia, vel Collegium Societatis, etiam ad effectum vendendi, succedere potest, ut eruitur, ex Bulla Gregorii XIII. incipit Ascendente. sapius cit. At si post Professionem Verba sunt cit. Card. in Discurs. cit. num. 19.

Per Testatorem, sive Jure Institutionis universalis, sive Jure Legati, vel Fideicommissi particularis, aliqua fiat dispositio ad favorem Professi, tunc indistinctè illa valida censenda est, eodem modo, quo ad favorem ipsius Domus Professa, ad commodum tamen commune, non autem particulare, atque ad eundem effectum vendendi, & expendendi & c. idque ex præsumpta voluntate Testatoris, qui cum sciret, Professum illum esse incapacem Legati, videtur illud directe reliquisse ipsimet Societati, vel Domui Professe, quæ illud acquirere potest saltem ad effectum vendendi; nam, ut idem Card.

Annot. ad Trid. disc. 35. n. 11. §. non tamen isti. expressè docet, Professi Societatis non sunt inca-

incapaces obtinendi ex Donatione, vel ex Testamento, autve dispositione Bona, Hæreditaria, & Legata, qua ex pietatis, vel benevolentia, aut gratitudinis motivo fiant ipsi etiam Religiosis Professis, ac in hoc statu constitutis, ut directè eorum acquiratur Religioni, vel Domui Professæ, in qua vivunt. Et de hoc casu procedit

Decisio 446. & 511. coram Ubaldo. Item Decisio 245. coram Buratto, & Votum Vincentini in Romana Hæreditatis de Galassis.

Nam in his agebatur de Legato, quod directè fuit relictum Societati, aut certæ ejusdem Domui. Contrà pro casu, ubi relictum aliquid directè Religioso Professo Societatis, militat Decisio in Firmana Immissio- nis. 1. Jul. 1709. coram Eminentissimo Falconerio, qua Causa abjudicata Societati est.

Verum his non obstantibus,

DICENDUM, nec Professos, & Coadjutores Formatos in Societate incapaces esse Legati sibi relictæ, non quidem, ut sibi illud acquirant (ad hanc enim acquisitionem per Professionem, & Vota publica inhabiles facti sunt) sed ut Societati.

Ita Sanch. l. 7. Moral. c. 27. num. 25. Laym. l. 3. tract. 5. c. 5. num. 5. Palao tract. 16. D. 3. p. 10. n. 1. Pellizar. Man. Regul. tract. 4. cap. 2. num. 126. Escobar. Theol. l. 59. n. 63. Tancred. 99. Moral. p. 2. tract. 1. q. 9. n. 2. Card. de Lug. de Just. D. 3. n. 100. Et resp. Moral. l. 4. dub. 5. n. 2. ubi ait, de validitate talis Legati nullum esse dubium.

Concordant reliqui ex Societate nostra DD. qui materiam istam tractarunt: patetque ex perpetua, & generali observantia Societatis, quæ Legata sibi & Professis, vel Coadjutoribus Formatis relictæ, nisi aliunde ex conditionibus appositis Instituto ejus repugnant, semper absque ulla Hæredum, vel Substitutorum contradictione obtinuit, & obtinet. Non est autem pro Constitutionum, ac Legum interpretatione ulla tutior Regula, quam Consuetudo, quæ illæ in praxi deductæ sunt. Igitur dicendum, quod Societas talia Legata vindicare sibi possit ob hanc ipsam praxin, quam ipsa, utpote cujus Professus speciali Voto se obligant ad nunquam permittendam relaxationem Paupertatis Societati ex Instituto suo propria, nunquam tolerasset, si praxis ejusmodi Instituto illius contraria foret, ut in specie advertit

Card. de Luca de Regular. disc. 63. n. 16. & generaliter tradunt Cyriac. contr. 543. n. 3. Palm. alleg. 138. n. 24. alleg. 139. n. 7. Et alleg. 185. n. 7. Rota decis. 73. n. 9. coram Bich. decis. 24. n. 8. & seqq. decis. 242. n. 12. decis. 1126. n. 7. decis. 1202. n. 10. & decis. 1342. n. 8. coram Emerix Jun. Item decis. 510. n. 9. p. 19. recent. & decis. 18. n. 11. apud Constant. ad Stat. Urb.

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

Erunt itaque iidem Professi, & Coadjutores Formati in eisdem casibus, & eodem prorsus modo, quo Societas, si Legati nomine aliquid huic relictum sit, etiam ipsi Legatorum capaces; etiam si permittatur, ipsos, aut eorum nomine Societatem non posse institui Hæredes, aut succedere ab intestato: quod non excludit, eos esse Legatarios, quandoquidem etiam Religio FF. Minorum, & ipsi FF. Minores, licet Hæredes Institui nequeant, Legatarii tamen esse possunt.

Sanch. n. 25. cit. Card. de Lug. n. 2. cit. Tancred. n. 2. cit.

Estque hoc verum, si Professus ille, aut Coadjutor Formatus ante Professionem, & Vota publica Renuntiationem fecerit, si non fecerit; manet enim capax Legati, licet cessaverit esse capax Institutionis, & Successionis Hæreditariæ, sicut FF. Minores de Observantia, & Capuccini, licet Institui Hæredes, aut succedere ab intestato nequeant, Legati tamen capaces sunt: de quo extat Responsum Præpositi nostri Generalis de 20. Nov. 1620. in Verbis, Legatum, relictum singulari persona in Gradu (scilicet Professorum, aut Coadjutorum Formatorum) constituta, secundum praxin Societatis acceptari potest. Praxis autem Societatis est, ut dispositio de talibus Legatis relinquatur arbitrio Superiorum, ut habetur in alio Rescripto de 22. Aug. 1637. ibi, Fieri potest, ut Professus Legatum sibi factum acceptet, ita scilicet, ut illud iudicio Superiorum applicetur alicui loco etiam, ubi ille manet, vel simul, vel annuatim, non verò, ut Professus illud arbitrato suo dispenseret. Hinc Legata, ab externis facta ad liberam Dispositionem particularium personarum Societatis Professorum, & Formatorum (tanquam repugnantia Instituto nostro) nullo modo sunt admittenda,

ut rescriptum est Prov. Venet. 1606.

Neapol. 1619. & iterum Venet. 1621.

Intellige, nisi Hæres tale Legatum, rejecta illâ conditione, dare velit; tunc enim,

ut habetur in Rescripto de 20. Novemb. 1620.

secundum praxin Societatis recipi quidem potest cum gratiarum actione, non tamen exigi.

Porro Legatum tale, si conditionem Instituto nostro contrariam annexam non habeat, relictum Professo, aut Coadjutori Formato, acquiratur Domui Professæ, aut Collegio, ubi Professus ille, vel Coadjutor habitat, sicut & alia ipsi donata, aut alio modo acquisita.

Sanch. c. 27. cit. n. 26. Tancred. q. 9.

cit. n. 2. Card. de Lug. dub. 5. cit. n. 2.

Quod ex hujus opinione, ut l. cit. n. 3. notat, procedit, etiam si ille renuntiasset alteri Collegio: quod allegatus Cardinalis num. 4. seqq. probat ex ratione à posteriori; si enim Renuntiatio extenderetur ad omnia Bona, quæ Professo quocunque modo post Professionem adventunt, illaque pertinerent ad Collegium, in cuius favorem Renuntiatio facta

FF

facta

facta est, sequeretur, quod ad Collegium Renuntiarium etiam pertinerent alia quaecunque dona, etiam minima, quae ab amicis ei dantur, Eleemosynae, quae ei tribuuntur, libri, & utensilia, & alia ejusmodi, licet actu habitaret in alio Collegio: quod certissimò est contra praxin Societatis, juxta quam haec omnia pertinere intelliguntur ad Domum, & Collegium, cui Professus ejusmodi subjectus est, perinde, ac si in favorem illius antea renuntiasset. Proinde intentio Renuntiantis (quippe quae conformari censetur Societatis praxi) solum porrigitur ad ea, quae tempore Renuntiationis habet vel in re, vel in spe, seu Jure. Atqui ea, quae ei post Professionem ex Legato, vel Donatione obveniunt, nec in re, nec in spe, quando renuntiat, habet. Ergo &c. Puto tamen, hanc laudati Cardinalis doctrinam intelligendam, nisi Praepositus Generalis de tali Legato, quod Professus, aut Coadjutori Formator relinquitur, aliter disponat, illudque alteri Domui Societatis applicet per potestatem supremam, quae ipsi circa administrationem Bonorum Societati delatorum competit.

46.
Responde-
tur ad Ar-
gumenta
opposita.

Argumenta, quae Resolutioni Num. 43. datae à Num. 33. objiciuntur, momenti nullius sunt. Ad 1. Dispositio, loquens de Successionibus in universali Jure Haereditario, non extenditur ad Legata particularia, in quibus proinde illa manet capacitas Professorum, & Coadjutorum Formatorum Societatis, qui quidem ex vi Religiosi status non possunt possidere quidquam, ut proprium, non tamen prohibentur Legata sibi facta, & alia sibi donata acquirere eo modo, ut sic acquisita subjiciantur arbitrio, & Dispositioni Praepositi Generalis, & subordinatorum Superiorum, ut unanimiter docent omnes Societatis nostrae DD. Neque obest, quod Professus talis habeatur pro civiliter mortuo; nam etiam pro talibus habentur, qui Professionem fecerunt in Ordine FF. Minorum de Observantia, & Capuccinorum, qui nihilominus, ex omnium DD. indubitata Sententia, nemine refragante, Legatorum sibi factorum capaces sunt. Proinde, si tale Legatum factum sit ea conditione, ut post mortem Professus Legatarii illud restituatur ei, quem in casum talem Testator substituit, excluso interea substituto, Legato tali fruatur Collegium, vel Domus, cui illud à Praeposito Generali est applicatum: de quo plura intra Num. 76. & sequentibus.

47.

Ad 2. Quod in hoc Argumento opponitur, procedit de Religiosis Professis, & Coadjutoribus Formatis in Societate in particulari, ac de Domibus Professis: non verò quoad Collegia, & Domos Probationis; nam ista, cum non profiteantur Paupertatem in communi, Bonorum tam mobilium, quam immobilium, ac etiam Redituum annuorum capacia sunt, imò

sine his admitti, ac fundari non debent, quantum scilicet tales Reditus pro moderata sustentatione Religiosorum in eo numero, qui pro qualitate, & ministeriis cujusque Collegii necessarii, aut opportuni sunt, sufficiunt,

ut aperte patet in Exam. c. 1. §. 4. ibi. *Habeat Societas Collegia, & Domos Probationis, redditibus dotatas ad Scholariorum sustentationem*: item Conf. p. 4. c. 2. §. 5. ibi, *Possessionem Collegiorum cum rebus temporalibus, quae ad ipsa spectant, capiet Societas*. Confirmatur ex Bullis Pontificiis Pauli III. & Julii III. ibi: *Possit Professa Societas ad studiorum commoditatem Scholarium habere Collegia -- quae possint habere redditus, census, seu possessiones, usibus, & necessitatibus studentium applicandas &c.* Adde Constitutionem Gregorii XIII. incipit *Ascendente*. ubi idem Pontifex decernit, *debere omnes Societatis personas in commune vivere -- idque in Domibus quidem Probationum, & Collegiis ex redditibus, in Domibus verò Professorum, quae nullos omnino Reditus habere possunt, ex Eleemosynis tantum.*

Consequenter distinguendum est inter Collegia, & Domos Probationis, & inter Domos Professas Societatis. Et quidem his ultimis per Constitutiones Societatis non negatur omnimoda proprietas Bonorum; nam Bonorum mobilium, item habitationis Ordinariae, in qua degunt Religiosi, Ecclesiae, in qua SS. Ministeria exercentur, horti ad quotidianum usum necessarii, & praeterea etiam separatae Possessionis cum horto ad corporis & spiritus levamen aliquod, aut refrigerium proprietatem etiam Domus Professae habent; haec enim omnia comprehenduntur in Constitutionibus Societatis, & Bulla Julii III. incipit *Exposit*. Unde reliquae Bullae Pontificiae, quae Bonorum stabilium possessionem Domibus Professis negant, intelligi debent de aliis Bonis stabilibus non necessariis,

ut notat Suar. tom. 4. de Relig. l. 4. c. 9. n. 12.

idque cum moderamine, scilicet, ne talia Bona sibi non necessaria retineant; nam si ista Domui Professae legentur, aut ei relinquuntur tanquam Haeredi in Testamento, illa Dominium illorum acquirit, & in Judio petere ea potest ad effectum illa vendendi.

Suar. l. cit. n. 14. Pelliz. Man. Reg. tract. 4. c. 2. n. 116.

Idem dicendum, si Domui Professae legetur Census aliquis; nam hujus Legatum valet, sicut aliarum rerum immobilium, etsi ejusmodi Census vendi debeat. Secus, si legetur annui Reditus ipsius Censús, quos Testator jubeat solvi Domui Professae, tunc enim Legatum non valet, cum ipsa sit inca-

pax

pax annuorum Redituum, etiam in modicam quantitatem,

ut notat. Card. de Lug. *D. 3. de Just. n. 102.* quod limitat Pelliz. *L. cit. n. 127.* si sint perpetui: secus ait esse, si relinquuntur ad modicum tempus, aut pro vita alicujus Religiosi particularis: de quo plura infra *Num. 57. & seqq.*

48.

Ad 3. Argumentum hoc nimium probat; nam licet FF. Minores sint incapaces Successionis Hæreditariæ, tamen non sunt incapaces Legatorum. Est ergo Successio in Legato Species excepta à genere Successionis Hæreditariæ. Ratio exceptionis est; quia *Legatum est quadam Donatio à defuncto relicta, ab Hærede præstanda,*

ut dicitur §. *Legatum. 1. Inst. de Legat.*

Cùm ergo FF. Minores (idem dic de Professis, & Coadjutoribus Formati in Societate) sint capaces Donationis, erunt & Legati. Unde, quando

§. *Legati. 24. Inst. eod.*

dicitur, *Legari iis solum posse, cum quibus Testamenti factio est,* intelligi debet his verbis à Legato solum excludi eos, qui ob Juris communis prohibitionem institui nequeunt; non item de iis, qui ob solum Votum Paupertatis constituerunt se incapaces Hæreditariæ Successionis, ut fit in Casu nostro.

Pellizar. *c. 2. cit. n. 45.* cum communi, & certa DD. aliorum Sententia.

Quod additur de Renuntiatione, verbis generalibus concepta, accipiendum est cum distinctione inter Legata, quæ Renuntianti tempore Renuntiationis jam delata sunt, aut saltem Jus ad illa tum acquisitum, puta, quia Renuntians ad id capiendum sub conditione, si e. g. moriatur is, qui illud actu possidet, est substitutus; & inter ea Legata, quæ nec delata sunt Renuntianti, nec Jus ad illa ipsi est acquisitum. Priora comprehenduntur sub Renuntiatione verbis amplis concepta; ad posteriora extendi intentionem Renuntiantis, nisi hoc exprimatur, præsumi non potest, prout innuit *Num. 45.* nam par ratio est in quocunque Renuntiante.

49.

Ad 4. Licet Legatum sit quædam Delibatio Hæreditatis, & ipse Legatarius quoad aliquos Juris effectus dicatur quasi Hæres, tamen multiplex adhuc inter Hæredem, & Legatarium discrimen est; inter quæ discrimina principale hoc numeratur, quod legari possit etiam ei, qui non potest Hæres institui, ut patet in FF. Minoribus de Observantia & Capuccinis, qui, etiamsi Institutionis Hæreditariæ incapaces sint, Legati tamen capaces existunt, modo tali Legato non adjiciatur conditio vel modus, ipsorum Professioni repugnans, qualis esset, si eis legaretur vinea, vel Domus Monasterio non contigua sub conditione, ut eam retineant, excolant, locent &c. Eadem igitur ratione Legati capaces erunt Professus, & Coadjutores Formatii Societatis JESU;

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

quia Legata his facta, cum sint rerum singularium, se habent instar Eleemosynæ, & rei donatæ, cujus Religiosi omnes capaces sunt, ita tamen, ut non sibi acquirant, sed Monasterio. Cæterum, quæ fuerit mens S. Fundatoris Nostri, & quo sensu intelligendæ sint Constitutiones Societatis circa Paupertatem huic specialem, magis credendum est Doctoribus Societatis, qui in hoc omnes consentiunt, quod Societas etiam Professa Legatorum sit capax. Adde Responsa Generalium *Num. 44.* allegata, quæ in hac re præcipuam vim habere debent, cum Præposito Generali commissa sit potestas authenticè interpretandi Institutum Societatis. Junge etiam praxin continuam ejusdem Societatis, de qua *Num. 43.*

50.

Ad 5. In loco Constitutionum nostrarum, quem Argumentum hoc innuit, solummodo sermo est de Societate Professa, & Domibus Professis, non verò de Collegiis, & aliis Domibus ejusdem. In illis S. P. Noster observari voluit perfectam, & Evangelicæ simillimam Paupertatem, & propterea noluit, ut hæ Domus retineant ulla Bona stabilia usui suo non necessaria, neque redditus stabiles habeant, ex quibus Religiosi in iis degentes sustententur. Talem autem Paupertatem noluit observari in Collegiis, & aliis Domibus, quippe quibus redditus stabiles & Bona immobilia possidenda permittit. Unde, licet Collegia, & Domus istæ non possint succedere in Hæreditates, quæ vel ex Testamento, vel ab intestato pertinerent ad Professos, & Coadjutores Formatos, nomine, & in persona illorum, juxta dicta tamen *ad Quæst. 1. præ.* succedere in istas possunt ex vi Renuntiationis in favorem ipsorum factæ, & ex Jure per hanc sibi acquisito: quod ipsum dicendum etiam de Domibus Professis, ea conditione tamen, ut si inter Bona Hæreditaria, reperiantur quædam Bona stabilia, usui istarum non necessaria, ea vendant: imò cum tali conditione Hæredes institui directè possunt ipsæ Domus Professæ, ut dictum est *Num. 7.*

51.

Ad 6. Argumentum hoc pertinet ad personas particulares Professorum, & Coadjutorum Formatorum Societatis, & quidem eatenus solum, quatenus ex eo sequitur, quod isti Legata sibi relicta non possint pro se acquirere. Si plus velit, plus probat, quam intendit probare; probaret enim, quod neque FF. Minoribus Legata relinqui possint. Dum dicitur, quod in Legatis rectè vià Dominium transferatur in Legatarium, intelligi debet, si Legatarius sit hujus capax. Exemplum est in Servo, cui quoad hoc æquiparatur Religiosus Professus; nam si Servo Legatum aliquod relinquatur, ob ejus incapacitatem ad acquirendum rei talis Dominium, illud non illi, sed Domino ejus acquiritur. Idem ergo dicendum est de Religioso Legatario; nam ut Servus Domino,

FF 2

ita

ita Religiosus Monasterio suo acquirit, quidquid acquirit. Neque obest, quod septimo loco opponitur, scilicet per Legatum aliquando relinqui meliora; nam mensura in his est voluntas Testatoris, quæ, si adfit capacitas in Legatario, effectum fortiri debet, qualiscunque sit res Legata.

52. Ad 8. Non unus duntaxat, sed omnes Scriptores Societatis, qui de hac materia tractant, unanimiter concedunt, quod non solum Collegia, & Domus Professæ, sed ipsæ etiam Professorum, & Coadjutorum Formatorum personæ sint capaces Legati sibi relicti, ita tamen, ut, quemadmodum *Num. preced.* dixi, non sibi, sed Domui, cui Præpositus Generalis Legatum tale applicaverit, illud acquirant. Unde alii DD. extranei, contrarium sentientes, quippe qui ex ignorantia particularis nostri Instituti facile in hoc labi poterant, in passu isto curandi non sunt.

53. Ad 9. Per Professionem, & ultima Volta Coadjutorum in Societate extinguitur solum capacitas ad Successionem Hæreditariam, non verò ad Legata; quippe quorum, ut iteratò dictum est, capaces sunt ipsi etiam FF. Minores, quamvis similem cum Professis, & Coadjutoribus Formatis paupertatem profiteantur. Ad allegatam doctrinam Cardinalis de Luca conceditur, quod Professis Societatis statim, ac Professionem in illa emisierint, fiant absolutè incapaces Legatorum non aliter, ac Hæreditatum, in persona sua, & jure proprio quomodocunque acquirendorum: verum hoc non est singulare in Societate, & aliis Religionibus Successionis Hæreditariæ incapacibus, sed commune Professis omnibus, etiam aliarum Religionum, quippe qui, quidquid acquirunt, Monasterio suo acquirunt, non sibi: cum quibus proinde Religionibus hoc Societati, & reliquis incapacibus hoc commune est; quod acquirant Legata Professis suis relicta, nisi ista cum Instituto illarum specialem habeant repugnantiam; hoc verò in posterioribus particulare est, quod istæ non possint in Bona, & Hæreditates, quæ aliàs ad Professos earum devolverentur, succedere ex vi Professionis, ab istis editæ, quod possunt aliæ Religiones capaces.

54. Ad 10. Circa Legata, relicta Religiosis Societatis ante Professionem, & ea, quæ relicta sunt iis post Professionem ab ipsis emissam, hoc duntaxat discrimen est, quod priora, quia Legatarius ea, eorumque dominium sibi acquirit, non possit Societas sibi vindicare, nisi per viam Renuntiationis in favorem ejusdem factæ, aut ultimæ Voluntatis, quæ Religiosus nondum Professus, vel Formatus illa eidem Societati transcribit: contra verò posteriora, seu quæ relinquuntur tali Professo, vel Coadjutori post Professionem, sine hujus facto acquirantur Domui, cui Præpositus Generalis talia Legata assignaverit.

Neque obstat decisio in *Firmana Immissiois*, in hoc 10. Argumento allegata; quia imprimis in hac agebatur non de Legatis particularibus, sed de Successione universalis, in qua militat diversa ratio judicandi. Deinde in casu dictæ Decisionis concurrebat expressa Testatoris voluntas pro exclusione Religiosorum, ut ex Actis Causæ istius patet.

QUÆRITUR III.

An Societas possit recipere Legata annua, sibi, vel Professis suis, aut Coadjutoribus Formatis relicta?

Certum est 1. Talia Legata annua relinqui posse Collegiis, & Domibus Probationis, quas habet Societas; nam Collegia, & Domus istæ per Institutum ejusdem Societatis, & Constitutiones Pontificias sunt capaces Redituum annuorum: neque interest, an per Donationem inter vivos, an verò per Ultimam Voluntatem iisdem relinquuntur; nam de modo hujusmodi Reditus acquirendi nulla extat specialis dispositio respectu istarum Domuum. Imò quia per idem Institutum dictæ Domus, & Collegia institui Hæredes possunt in Bona immobilia per Testamentum sibi relicta, eaque retinere, & fructus inde annuatim provenientes capere, ac necessitatibus suis applicare, hoc ipso indultum iisdem censetur, ut vel Institutionis, vel Legati nomine capere, & retinere possint Præstationes annuas sibi à Benefactoribus suis relictas, cum, supposita capacitate illarum Domuum ad annuos Reditus, nulla pugnet specialis ratio, quæ prohibeat acceptationem Legati annui.

Certum est 2. Possit etiam à Domibus Professis acceptari Legata annua sibi relicta, si eorum solutio in ipsarum solummodo commoditatem per plures annos divisim præstari iusta sit à Testatore; nam tale Legatum haberi debet pro unico: consequenter sicut aliorum Legatorum juxta dicta *Num. 30.* capax est Domus Professæ, ita & Legati, ad commoditatem solum ejusdem in annuas præstationes divisi. Hinc A. R. P. Noster Prov. Neap. 1587. in simili casu rescriptit, *In Assignatione Redituum, relictorum pro fabrica Domus Professæ Neapolitana à Duce Matukanensi, nullum planè esse locum scrupulis; non enim sunt Reditus Domus, sed pecunia divisa in plures annos.* Et tale Legatum juxta Rescriptum datum Mediolan. 1584. Domus Professæ potest exigere in Judicio.

juxta Const. p. 6. c. 2. Lit. E.

DUBIUM est 1. An eadem Domus Professæ acceptare possint etiam Legata illa annua, quæ habent successivam solutionem. Resp. Non posse Domus Professas talia Legata acceptare, ita, ut ad illa acquirant Jus Civile ad illa exigenda, & obtinenda. Ratio

tio est, quia tale Legatum habet rationem Bonorum stabilium. Domus autem Professæ Societatis nequeunt habere vel in particulari, vel in communi Reditus ullos, aut Bona stabilia, & possessiones, præter eam possessionem, quæ ad habitationem, vel usum fuerit necessaria, aut valde conveniens, qualis est Hortus suburbanus, ad quem recreandi animi causâ se aliquando Religiosi recipiant, ut constat ex Bulla Julij III. prima Confirmatoria Instituti Societatis, ibi, *Sic voventur singuli &c.* & habetur

in Const. p. 6. c. 2. §. 5. Sanch. l. 7. Moral. c. 27. n. 3. Pelliz. Man. Regul. p. 4. c. 2. n. 118.

58.

Procedit hoc etiam, quando Domui Professæ ad hujusmodi annuas præstationes daretur solum Jus Naturale Justitiæ absque actione Civili: quò servit, quod Suar.

tom. 4. de Relig. l. 4. c. 9.

docet, ubi cum Num. 5. proposuisset casum; quo aliquis reliquit Testamento suam Hæreditatem alicui cum onere dandi Domui Professæ Societatis singulis annis pensionem 100. aureorum, conferendo eidem Domui Jus Naturale Justitiæ absque Actione Civili, postea Num. 7. respondet, in hoc casu Legatum esse nullum, ita, ut non solum non acquirat Societas Jus ullum ad tales Reditus, verum etiam non possit illos recipere. Rationem dat, quia recipiendo tales Reditus Societas virtualiter consentiret, & acceptare Jus sibi oblatum, aut certè velle habere certos Reditus ad suam sustentationem. Hinc Congregatio Generalis VII. ad propositum sibi dubium, an contra Constitutiones & Instituti rationem videatur esse, admittere annuos perpetuos Reditus, Collegio alicui donatos, cum onere partem illorum annuè Domui Professæ dandi, & erogandi? Decreto 50. censuit, videri cum Instituto, & peculiari Paupertatis Professorum Voto, nostraque Paupertatis puritate pugnare: quare nullo modo perpetuos ejusmodi relictos Collegiis Reditus admittendos, ne paulatim janua in Societate Paupertati laxanda aperiatur.

59.

Notandum tamen est discrimen inter Casum, quo Domui Professæ legatur Censuum aliquis, & inter Casum, quo legantur eidem Reditus annui Censuum, nam prius Legatum juxta Card. de Lug. D. 3. de Just. n. 102.

Pellizar. tract. 4. c. 2. n. 127. §. sic ait.

sicut aliarum rerum immobilium Legatum, valet, etsi Censuum ejusmodi vendi debeat. Contra non valet, si legentur annui Reditus ipsius Censuum, quos Testator jubeat solvi Domui Professæ, cum ipsa incapax sit annuorum Redituum etiam in modica quantitate.

Pelliz. l. cit.

qui tamen ibidem excipit, si tales Reditus ad modicum tempus relinquuntur, quale reputatur, quod est intra decennium, aut pro vita alicujus Religiosi particularis, cum tale tempus ob incertitudinem, & pericula non censeatur longum. Consentit Sanch.

l. 7. mor. c. 26. n. 30.

dubitat autem l. cit. Cardinalis de Lugo, eò, quòd Reditus annui pro vita hominis, præsertim juvenis, & robusti emi soleant pretio respondente 100. & pluribus annis, sicque moraliter æstimari debeant durare per plures annos. Interim tamen extat Rescriptum Præpositi Generalis datum Provin. Tolos. 1633. ubi, *Permitti potest*, inquit, *ut Domus Professæ saltem ad decennium accipiat Censum ex pecunia ad Censum olim elocata, & Domui Professæ jam legata, si Censuarius non possit interea reddere Summam Capitalem.* Accedit aliud Rescriptum Valent. 1581. ubi asseritur, *Legatum Eleemosynæ, relictum Domui Professæ ad vitam unius Professi non esse contra Constitutiones, quamvis addatur significandum Hæredibus, Societatem nullum Jus prætere ad dictam Eleemosynam, & ipsos esse liberos.*

Cæterum, si Hæres, gravatus à Testatore ad Legatum annuum præstandum Domui Professæ, expressè declaret, se ultro, & sponte suâ id solvere velle, id acceptari potest etiam ad tempus decennio longius. Clarum id est in casu, quo ipse Fundator Domus, vel Ecclesiæ tale Legatum reliquit ad fabricæ usum; nam ita expressè habetur

Const. p. 6. c. 2. Declar. Lit. B. ibi, *Si quis ex Fundatoribus Domorum, vel Ecclesiarum vellet Redire aliquos ad fabricam usum relinquere, dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit, unde ei competat actio in illos (quamvis id illi cura esset, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret) & sic in rebus similibus, non esset id à Paupertate Societatis alienum.*

An verò hoc extendatur etiam ad alia Legata annua, controversia fieri potest ex sequentibus Rationibus. 1. Quia in loco Constitutionum cit. videtur fieri singularis Exceptio Fundatorum, talia Legata pro fabrica Domorum, & Ecclesiarum constituentium. Exceptio autem firmat Regulam in contrarium. Consequenter extra casum relatum non licebit Societati Professæ acceptare alia Legata annua, non ad fabricam Domus, aut Ecclesiæ, sed ad sustentationem Religiosorum relicta, quippe quæ magis repugnant Paupertati personali. Imò 2. Similes Reditus, attento Jure communi, etiam non licet acceptare ad ornamenta Ecclesiæ, vel alia opera Sacristiæ; quia nomine fabricæ hæc non comprehenduntur.

Arg. c. de his. 20. de Testam. ubi hæc ponuntur tanquam diversa, prout ibid. notat Abb. n. 2.

3. In Fundatoribus specialis est ratio propter gratitudinem eis debitam, & quia sunt veluti Domini, i. e. Patroni, ad quos maximè pertinet, & veluti in eorum commodum redundat, quòd talia ædificia conferentur perpetuo, ut proinde S. P. Noster non sine speciali motivo, & ratione nomen Fundatorum expresserit.

F f 3

Hæc

60.

61.

62.

Hæc argumenta
Tom. 4. de Relig. l. 4. c. 9.

affert Suarez noster, aitque, hanc expositionem magis placere posse Religiosis Societatis, quia Paupertatem Bonorum magis restringit; addit tamen Num. 9. se hanc non proponere ut certam, datque rationem 1. Quia Argumentum à contrario, vel à speciali, ubi prohibitio generalis lata non est, non est firmum ad concludendam generalem prohibitionem in aliis casibus. In præfenti autem non est prohibitum ex vi Voti Paupertatis, vel ex aliis Regulis Societatis recipere hujusmodi Reditus, si ab alio conferantur sine Jure, & cura Societatis; nam, seclusâ hac speciali Declaratione, nihil peculiare habet Societas præ aliis Religionibus, quibus prohibitum est habere Reditus in communi. Iste autem possunt acceptare Eleemosynam talem, modò ad istam non tribuatur ipsis Jus strictum, & Justitiæ. Ergo & Domus Professæ.

63.

2. In Declaratione allegata potuit facta fuisse expressio Fundatorum, non ut explicaretur, solum in hoc casu licere acceptare Legata annua, sed ut insinuaretur, in eo casu esse specialem rationem, ob quam non tantum liceat, sed etiam congruum sit talia Legata acceptare modo nostræ Paupertati accommodato, quod in aliis Legatis non æquè cernitur, quippe in quibus fortasse, vel melius sit illa non acceptare, vel regulariter possit esse aliquid inconueniens, vel periculum alicujus fraudis, aut diminutionis in Paupertate Societati Professæ propria.

64.

3. In dicta Declaratione adduntur verba, *Et sic in similibus*, per quæ significari videtur, non esse speciale quid in illo casu, sed extendi etiam ad alios casus similes; sensus enim alius verborum illorum congruus non videtur inveniri posse. Vel enim res illæ similes essent Legata annua in Testamento relicta, vel res aliæ semel donandæ, & consumendæ. Si Legata annua, illa jam comprehenduntur nomine Redituum: si res aliæ, illæ etiam, cum perfecto Jure, & actione Civili à Domibus Professis acceptari possunt, quippe inter quas, & reditus annuos respectu Societatis Professæ hoc discrimen est, quòd eidem ad Reditus annuos Jus Civile eorumque Dominium omnino negetur; ad alia verò Bona mobilia, & stabilia concedatur Jus Civile, & Dominium, & quidem, si talia Bona stabilia necessaria sint ad usum, & habitationem, Jus, & Dominium absolutum cum potestate ea retinendi; si verò non sint necessaria, ad effectum ea vendendi, & applicandi pretium inde redactum pro suorum necessitatibus.

Sanch. l. 7. moral. c. 27. n. 19. Tancred. qq. Moral. p. 2. tract. 1. q. 1. n. 3. in fin.

65.

4. Denique hoc videtur sufficienter colligi
ex allegata p. 6. Const. c. 2. §. 6.

Ubi tria ordinantur. 1. Ut nullus de Societate quenquam ad Eleemosynas perpetuas, Domibus, vel Ecclesiis ejusdem Societatis relinquendas incitet: quod per se non pertinet ad Votum Paupertatis, nec ad materiam ejus, sed ad quandam perfectionem, Regulæ observantiam, & proximi ædificationem. 2. Ut si aliqui sponte suâ eas relinquere, nullum Jus Civile ad eas petendas in Judicio acquiratur: & hoc pertinet ad materiam Voti Paupertatis. 3. Tales Eleemosynas recipi posse, si alii, cum ad id Charitas propter DEUM eos moverit, eas elargiantur: quæ verba manifestè supponunt, tunc eas posse à Societate Professæ acceptari. Ita Suar. n. 9. cit. Ubi addit, non repugnare, etiam si Hæres comparatione Testatoris ex tacito cum hoc Contractu obligaretur ad præstanda talia Legata annua stricto Jure Justitiæ ob Hæreditatem acceptam, modò respectu Societatis talem obligationem non habeat, nec ipsi Societati ullum Jus ad hujusmodi præstationes acquisitum sit; nam etiam ex Charitate moveri potest, qui suam obligationem, qualiscunque illa sit, implet.

Solum igitur Domus Professæ sunt incapaces Legatorum annuorum cum Jure Civili ad illa, & ut Hæres, vel alius, cui commissæ est illorum solutio, respectu Societatis teneatur ex Jure Justitiæ ad illa annuatim præstanda: Et ita rescriptum est Austria 13. Dec. 1625. ibi, *Eleemosynæ stabiles sunt permittæ, dummodo ad illas nullum Jus Civile habeant Domus*: atque hoc innuitur

cit. p. 6. Const. c. 2. §. 6.

per verba, *si aliquis sponte suâ eas* (Eleemosynas annuas) *relinqueret, nullum Jus Civile ad eas petendas in Judicio acquiratur*, per quæ tacite significatur, hujusmodi Eleemosynas annuas absque Jure Civili ad eas in Judicio petendas à Societate Professæ acceptari, illas à hujus Paupertate speciali, posse. Proceditque hoc,

ut docent Sanch. l. 7. Moral. c. 27. n. 9. Palao tract. 16. D. 3. p. 10. num. 5. Pelliz. Man. Regul. tract. 4. c. 2. n. 120. & juxta dicta Num. prac. Inclinat Suar. tom. 4. de Relig. l. 4. c. 9. n. 9.

etiam si Testator Hæredem obligasset in conscientia hujusmodi Legata solvere. Ratio est, quia ex Voto Paupertatis juxta Societatis Constitutiones Domus Professæ non prohibentur absolute, ne tales præstationes annuas recipiant, sed tantum, ne acquirant Jus Civile ad eas petendas; obligatio autem ad tales Eleemosynas, in conscientia stringens Hæredem, suppositâ capacitate Domus Professæ, non poterat à Societate impediri, quippe quæ provenit ex dispositione, & mente Testatoris. Non igitur obstat, quòd ex vi illius obligationis, quam ei Testator imposuit, Hæres teneatur in conscientia fore ad solvendas hujusmodi præstationes annuas.

DU

67.
Dubium 2.

DUBIUM 2. Quid censendum de Legatis annuis, quæ relinquuntur Professis, vel Coadjutoribus Formatis in Societate post Professionem, aut ultima Vota ab istis jam emissâ? Resp. Legata annua his facta subsistere; quia prohibitio annuorum Redituum non respicit singulos Professos, sed Domum Professam: singuli autem Professi sunt talis Legati capaces non minus, ac Professi aliarum Religionum,

prout testantur Card. de Lug. *D. 3. de Just. num. 104.* Pellizar. *Man. Reg. tract. 4. c. 2. n. 124.* cum aliis.

Patet ex *Congr. XII. Decreto 37.* ubi aperitissime adstruitur capacitas omnium Religionum Societatis quoad annuas præstationes, etiam Jure Legati iis relictas, & solum additur certus modus, quo percipi ejusmodi Legata annua possint, scilicet, ut talium pecuniarum usus liber nemini concedatur, sed quoad fieri potest certo alicui Societatis domicilio applicentur, ad cujus Superiorem plena de his dispositio pertineat. Quod

68.

2. Confirmatur ex diversis Rescriptis Præpositorum Generalium, præsertim Fland. 28. Nov. 1637. ibi, *Legatum 300. Florenorum ad vitam Professi admitti potest, dummodo non sequantur illum, sed alicui Collegio applicentur.* Cum ergo per Constitutionem Gregorii XIII. incipit *Ascendente.* tributa sit Præposito Generali Societatis facultas interpretandi, ac declarandi quæcumque dubia, super Constitutionum sensu emergentia, idæoque, quod ab illo, maximè in Congregatione Generali, declaratum est, perinde sit, acsi immediatè à Sede Apostolica declaratum extitisset, declaratio talis pro Lege accipienda, ac propterea asserendum est, Institutum Societatis minimè repugnare consecutioni ejusmodi Legatorum,

ut in specialibus terminis dixit Rota *decis. 245. n. 11. coram Buratto,* quam secuta est S. Congregatio Rev. Fabricæ in *Romana Hæreditatis de Galassis,* ut in Voto Reverend. Vincentini, tunc Secretarii 7. April. 1712. §. 13.

69.

3. Roboratur per Argumentum à sensu contrario ex Decisione Rotæ in *Romana Legati. 9. Martii 1714. coram Crispo,*

ubi cum ad Tribunal ejusdem delata fuisset Controversia super Legato annuorum Scutorum 300. quod obtenerat P. Herculi Gavotto Professo Societatis, iste ideo exclusus fuit à consecutione istius Legati, quia visum fuit obstare amplissimam Renuntiationem, quam ex causa ingressus in eandem Societatem fecerat, atque adeò unicum Fundamentum exclusionis constitutum fuit in dicta Renuntiatione: consequenter præsupposita fuit capacitas succedendi in eodem Legato, nisi obtitisset memorata Renuntiaio. Igitur, ubi Renuntiaio talis non adest, nihil obstat, quin Professis Societatis legari validè Legata annua possint; si enim status

istorum acquisitioni talium Legatorum obstaret, superflua omnino fuisset discussio hujus Cause, utpote quæ uno verbo potuisset absolvi dicendo, quòd Professio in Societate incapacem reddat Professum ad tale Legatum.

Porro, ut Card. de Lugo, & Pellizarius *loc. cit. cum Tancred. qq. Moral. p. 2. tract. 1. q. 9. n. 7.*

70.

notant, tale Legatum, Professo Societatis, aut Coadjutori Formato relictum, competet Domui Societatis, in qua ille degit, juxta capacitatem illius. Proinde, si annui Reditus legentur Titio, & is reperiatur in Collegio, vel Domo Probationis, cum Collegia, & Domus istæ, ut *Num. 55.* dictum est, sint capaces talium Redituum, potest Collegium, seu Domus illa hos Reditus annuos acquirere, & retinere. Si verò Titius Legatarius reperiatur in Domo Professæ, cum ea sit incapax retinendi annuos Reditus, illi debent vendi, & summa competet Domui Professæ, prout per Constitutiones Societatis, & Bullas Pontificias statutum est de aliis Bonis stabilibus, quæ Societati Professæ Institutionis, vel Legati nomine deferuntur.

Tancred. *n. 7. cit.*

Potest tamen talis Legatarius, cui Legati sunt annui Reditus, ex Domo Professæ consultò mitti ad Collegium in Subditum illius, ut adveniente die Legati adipiscendi possit Collegium retinere annuos illos Reditus Legatos,

71.

ut notat Pellizar. *n. 124. cit.* Neque hoc dici potest fieri in fraudem, cum Provincialis utatur Jure suo mutandi Subditum de uno loco in alium, & qui utitur Jure suo, nemini injuriam faciat. Requiritur autem, ut tale Legatum nondum fuerit acquisitum Legatario, dum erat in Domo Professæ, ut est in Casu, quando Testator, qui tale Legatum fecit, nondum est mortuus, vel illud reliquit sub conditione, quæ tunc nondum impleta est; tali enim casu Legatum competet illi Domui, in qua reperitur ut Subditus, tempore mortis, vel impletæ conditionis.

Pelliz. *n. 124. cit. Tancred. q. 9. cit. n. 8.*

Addo, hoc, quod dictum est, quòd talia Legata Professis, aut Coadjutoribus Formatis relicta, competant Domui, in qua Professus, aut Coadjutor Legatarius degit, procedere solum, nisi Præpositus Generalis aliter disponat; nam hujus dispositioni talia Legata subjacent, qui quidem, si fieri potest, ea applicabit certo alicui domicilio, aut certè curabit summam integram pecuniarum illarum venire in manus, & potestatem Superioris vel Localis, vel Provincialis. Patet ex *cit. Decreto 37. Congr. Gener. XII.* ubi dicitur, *Pensionibus hujusmodi esse, quoad ejus fieri potest, certo alicui Societatis Domicilio applicandas - aut si hæc ex aliquo casu applicatio fieri non possit - debere summam integram pecuniarum illarum, sive pensionum venire in manus,*

72.

nus, potestatemque Superioris vel Localis, vel Provincialis pro arbitrio Generalis.

73.
Dubium 3.

DUBIUM 3. Quid Juris de Legatis annuis, quæ iisdem Professis, & Coadjutoribus Formatis ante Professionem, aut ultima Vota relicta sunt? R. Interesse, an talis Religiosus renuntiaverit Bonis, & Juribus suis in favorem Societatis, vel non. Si hoc secundum, cum hæc Legata Religiosus, biennii Votis duntaxat ligatus, sibi acquirat, non verò Societas, hæc in illa Legata succedendi Jus nullum habet, ut specialiter de Libello, Religiosis Societatis relicto, monet Sanch.

L. 7. Moral. c. 17. n. 61. cum aliis.

Si primum, distinguit idem Sanchez

L. 7. cit. c. 13. n. 56.

An tale Legatum sit unicum, ita, ut unica solutione satisfieri eidem possit, & tantum pro commoditate Legatarii ex mente Testatoris per annuas præstationes solutio fieri debeat, an verò sit multiplex. In primo casu tale Legatum non extinguatur illius Professione, sed sicut transitorium erat ad Hæredes ipsius ab intestato, si ipse Renuntiationem in favorem Societatis non fecisset, ita hæc facta, à Societate Renuntiataria vindicari illud potest, emissâ Professione, vel ultimis Votis. Quod ipsum idem Sanch. l. cit. docet de Censu annuo, ante Professionem tali Religioso debito.

74.

In secundo Casu, quo plura censentur Legata, idem Sanch. l. cit. negat, talem Religiosum posse disponere, consequenter nec renuntiare tale Legatum, nisi de solo illo, quod ipsi jam cesserat ante Professionem; cætera enim Legata, Professione in Societate emissâ, ut in aliis Religionibus Successionis Hæreditariæ incapacibus, aut extingui, vel saltem Jus eorum transferri ad eum, quem Testator eidem substituit post hujus mortem, quippe cui Professio in tali Religione æquiparatur. Rationem dat, quia tali casu quolibet anno debetur diversum Legatum, & initio cujuslibet anni dies Legati cedit.

L. si in singulos. 4. ff. de annuis Legatis.

Et ideo exigitur in Legatario quolibet anno capacitas sive in communi, sive in particulari. Atqui à Professionis tempore jam ille Religiosus est utroque modo incapax succedendi. Proin Legatum extinguetur, vel transibit ad substitutum ad similitudinem Ususfructus legati.

75.

Sed in hujusmodi Legatis annuis distinguendum videtur inter pensiones annuas, & ipsam Jus ad illas; nam, licet ipsas pensiones, quæ current post Professionem, ante istam actu non habeat, tamen actu habet Jus ad illas, quod proinde sicut alii extraneo, ita Societati ad tempus, pro quo ipsi concessum tale Legatum est, renuntiare ante Professionem Religiosus Societatis, biennii Votis ligatus potest, & si renuntiaverit, transibit illud ad Societatem Renuntiatariam

eo modo, quo ad istam transeunt reliqua Bona, & Jura renuntiantis. Neque obest, quòd post Professionem non sit amplius capax Successionis Hæreditariæ; nam sufficit, quòd Collegium, cui ipse cessit Bona, & Jura sua præsentia, & futura, capax sit Legati, atque etiam Hæreditatis: proinde istud potest, & debet succedere propter Jus sibi acquisitum per Renuntiationem præcedentem. Videantur dicta ad *Questionem primam*.

QUÆRITUR IV.

An in Casu, quo Legatum relictum est Societatis Professo, vel Coadjutori Formato cum onere Fideicommissario, scilicet restituendi illud post mortem suam alteri, Societas excludat ista substitutum?

Respondeo, interesse, an tale Legatum relictum sit tali Professo, vel Coadjutori Formato ante Professionem, an verò post illam. Si post illam, non est dubium, substitutum à Societate excludi usque ad tempus, pro quo facta est Substitutio: consequenter, si Legatum tale relictum sit ad vitam Professi Legatarii, eò usque Societas illud possidere, eoque frui valebit; cum enim Professus nihil sibi acquirere possit, idem erit, ac si ipsi Collegio, cui applicatum id est, Legatum hoc relictum fuisset ea conditione, ut ad vitam Professi id retineret, & eo frueretur. Parumque refert, an Legatum hoc consistat in re aliqua, quæ unâ solutione præstari potest, an verò in Censibus, & Pensionibus annuis; nam utriusque Legati, sive sibi directè, sive in Persona Professi sui relictum illud sit, capacia sunt Collegia Societatis, ut patet ex dictis ad *Questionem secundam* & *tertiam*.

Si verò Legatum tale Professo Societatis, vel Coadjutori Formato ante Professionem, aut ultima Vota emissâ relictum sit, considerandum, an ille, antequam hæc Vota emitteret, renuntiaverit Bonis in favorem Societatis, vel alterius extranei, an verò dispositionem de Bonis suis nullam confecerit. Si hoc secundum, idem dicendum de Societate, quod de aliis Religionibus Successionis Hæreditariæ incapacibus Jure cautum est, ex cujus dispositione à die Professionis, in tali Religione editæ, admittitur Substitutus, excluso Monasterio, vel Religione, in qua proficitur, quippe cum talis Professio æquiparetur morti naturali: consequenter, sicut, secutâ morte naturali, restituenda statim essent Bona, Fideicommissio subjecta, Substituto, ita restituenda eidem erunt statim à die editæ Professionis.

Sanch. l. 7. Moral. c. 16. n. 16. & 20. In quo dispar est ratio in Religionibus Successio-

cessionis Hæreditariæ capacibus; nam in his

per *cap. in presentia. 8. de Probat. Et Auth. nisi rogati. C. ad S. C. Trebell.*

Bona talia, sub Fideicommissio relicta filio, vel etiam extraneo, ipsa Professione transeunt ad Monasterium, sicque excluditur Substitutus pro ratione Substitutionis à Testatore factæ, scilicet si facta hæc sit sub conditione, si sine Liberis decesserit, in perpetuum; usque ad mortem naturalem autem Professi, si facta sit absolute: unde hac contingente, succedit Substitutus,

ut cum communiore docet Molin. *tract. 2. de J. & J. D. 190. n. 35.*

78.

Quod ad primum Distinctionis Num. præ. datæ membrum atinet, ex dictis ad *Quæst. 1. satis liquet, vi Renuntiationis ante Professionem factæ, in Societatem transferri Jus Legati, Renuntianti sub Fideicommissio ad vitam ejus relicti, nisi huic addatur Condicio Instituto Societatis contraria, vel aliud constet de mente Fideicommittentis: Unde Collegium, cui Legatum hoc applicabitur, Legato hoc frui poterit, durante vitâ Renuntiantis etiam post Professionem ab eo editam, excluso interea Substituto. Ratio est, quia, ut ad allegatam Quæstionem dictum est, in Societate id operatur Renuntiatio, quod in aliis Religionibus Successionis Hæreditariæ capacibus operatur Professio. Sicut ergo istæ vi Professionis à Legatario editæ frui possunt Legatis, ad Vitam Professi sui relicti, ita & Societas ex vi Renuntiationis ante Professionem in sui favorem factæ.*

79.

De Fideicommissio relicto sub conditione, si sine Liberis decedat, an, quando isto gravatus Societatem ingreditur, & in hujus favorem ante Professionem Bonis, & Juribus suis renuntiat, vi hujus Renuntiationis perpetuo excludatur Substitutus, sicut in aliis Religionibus excluditur vi Juris acquisiti per Professionem, major est difficultas. Rationem dubitandi facit. 1. Quia sic institutus nequit in Substituto præjudicium renuntiare. 2. Quia exigitur, ut Monasterium sit capax succedendi in Bona Professi, quam capacitatem non habent Collegia Societatis respectu Professorum, & Formatorum suorum. 3. Quia *c. in presentia. cit.* quod est præcipuum fundamentum asserendi exclusionem Substituti, loquitur de verè Professo: consequenter locum non habet in his, qui in Societate emisserunt sola Vota biennii.

80.

Verum his non obstantibus, Sanch. *c. 16. cit. n. 22.* adhæret affirmativæ Sententiæ: quem sequitur

Tancred. *qq. Moral. p. 2. tract. 1. q. 6. num. 12.*

Juxta quos, si tali Fideicommissio gravatus Religiosus Societatis in hujus favorem renuntiavit, ista excludet Substitutum sub conditione, si sine Liberis decesserit, idque

R. P. Schmalzgruber *Consil. Tom. I.*

non tantum durante vita naturali renuntiantis, sed in perpetuum. Excipi debet, si substituta sit causa pia, ut factum est in præfenti Specie Facti; nam,

ut *l. cit. n. 33. & 34.* notat idem Sanchez,

In casu substitutæ causæ piæ cujuscunque, per Professionem gravati non excluditur illa in perpetuum, sed tantum usque ad mortem Professi gravati, & interim Monasterium, cui iste subjicitur, habebit Bona tali Fideicommissio gravata.

Extra hunc Casum, & nisi aliud constet de mente Fideicommittentis, allegatus Sanch. *n. 22.* dicit, procedere Responsionem pro exclusionem Substituti: quod probat, & simul satisfacit Rationibus dubitandi in contrarium per sequentia Argumenta. 1. Esto, quod gravatus ex meta sua libertate non possit in favorem extranei excludere Substitutum, & in hujus præjudicium disponere aliquid: Secus tamen est, si disponat in favorem Religionis, quam ingreditur, tunc enim ipsius liberæ dispositioni accedit favor Juris

C. in presentia. cit. proditi, præsumptis, voluntatem Testatoris fuisse non excludere Religionem, sive ab intestato, sive ex ingressi dispositione succedentem in omnia Bona Religiosi sui. 2. Collegia Societatis, & ipsæ etiam Domus Professæ institui Hæredes à suis Religiosis, vel à quocunque alio possunt, licet ab intestato non possint iis succedere. Talis autem Institutionis, vel Dispositionis de rebus suis rationem habet Renuntiatio generalis omnium Bonorum, & Jurium præsentium, & futurorum, quam ante Professionem, vel ultima tua Vota Religiosi Societatis faciunt. Ergo, facta tali Renuntiatione, adest capacitas respectu Collegiorum, & Domuum prædictarum. 3. Vota biennii in Societate emissa constituunt verè, & propriè Religiosum, non aliter, ac solennis Professio in aliis Religionibus, ut constat ex Bulla *Ascendente.* sæpiùs allegata. Igitur ex parte Societatis, si in hujus favorem Renuntiatio facta sit, adsunt omnia, quæ ex *vi c. in presentia. cit.* requiruntur ad excludendum Substitutum. Neque obstat, quod biennii Votis ligati possint resilire, & redire ad Sæculum; nam hoc solum possunt de licentia Generalis, ex parte autem sua, & Votorum, quæ emittunt, se dedicant perpetuo Societati, ita, ut resilire arbitrio suo nequeant. Unde non est paritas cum Clerico, dedicante se, & Bona sua certæ Ecclesiæ, in quo, ut Ecclesiæ talis excludat Substitutum, ex *vi c. cit.* requiritur, ut constitutus sit in Sacris Ordinibus, nec sufficiunt Minores Ordines, quippe quorum susceptione non obstante, redire ad Statum Laicalem potest, nam in Minoribus constitutus solo suo arbitrio Statum mutare potest, nec indiget ullius licentiæ.

Vide dicta à Sanch. *c. 16. cit. n. 22.*

G g

QUÆ

QUÆRITUR V.

Utrum Societas Hæreditates, & Legata annua, vel non annua possit recipere, si eisdem ex voluntate Testatoris annexum sit certum onus Missarum.

82.
Rationes
Dubitandi.

Ratio dubitandi est, quia, si Hæreditati, aut Legato, relicto Collegiis, Domibus Professis, aut ipsis Professis, vel Coadjutoribus Formatis apponatur modus, aut conditio contraria Constitutionibus Societatis, id Legatum, vel Institutio erit caduca, nec converti poterit in alium usum. Tale autem videtur Legatum, & Institutio in Hæreditatem cum onere Missarum; nam,

ut p. 4. *Const. c. 2. §. 4.* dicitur, Voluit S. P. Noster, ut in Collegiis Societatis nec cura animarum, nec obligationes ad Missas celebrandas admittantur, quemadmodum neque in Domibus aliis, vel Ecclesiis Societatis Professis. Idque commune est toti Societati, & provenit ex illa generali conditione Paupertatis ipsi propriæ; quod pro Missis, vel aliis Ministeriis Spiritualibus non possit stipendium, vel Eleemosynam accipere.

Suar. tom. 4. de Relig. l. 4. c. 9. n. 2. Confirmatur ex Bulla Gregorii XIII. incipit *Salvatoris*. edita 30. Oct. 1576. ibi, Societas nulla Missarum stipendia, nullas Capellaniarum fundaciones admittit. Idque videtur extendi etiam ad ea Missarum onera, quibus satisfieri potest per Sacerdotes Sæculares, ut statutum est in *Congr. Gen. t. Can. 10.* ibi, non expedit, ut Capellania, quibus inserviunt Clerici Sæculares, in nostris Ecclesiis erigantur.

Sed DICENDUM, tale onus Missarum, si satisfieri eidem potest per Sacerdotes Sæculares, non obstat acquisitioni Hæreditatis, vel Legati, sub tali modo, vel conditione relicti. Constat ex Rescripto dato Rhæni, 5. Jan. 1624. ibi, Potest admitti Legatum cum onere dicendi certum numerum Sacrorum, si ea externis dicenda possint permitti. Idque verum est etiam de Domibus Professis, ut anno 1672. de consilio, & Voto PP. Assistentium declaravit A. R. P. N. Joannes Paulus Oliva in hæc verba, *Domos Professas Societatis JESU esse indubitanter capaces Hæreditatum, & Legatorum cum onere perpetuo Missarum, explendo tamen non per ipsosmet PP. Societatis, sed per alios Sacerdotes Sæculares, & dummodo Hæreditates ejusmodi vendantur.* Consonat resolutio S. Congr. Rev. Fabricæ in *Causa Imolensi* 20. Mart. 1697. ubi, discussio Dubio, an Patres Societatis JESU sint capaces Legati perpetui celebrationis Missarum, per alios Sacerdotes explenda? Responsum fuit, Privilegia Fabricæ non intrare. Intrassent autem, si ob incapacitatem Patrum tale Le-

83.
Deciditur
questio.

gatum fuisset caducum, proin ad tale Legatum nulla datur incapacitas ex parte Societatis. Eidem Sententiæ inhæsit eadem S. Congregatio in *alia Causa Romana Hæreditatis de Galassis* 27. April. 1712. Juxta Votum promulgatum à bon. mem. Vincentino, ejusdem Congregationis Secretario.

Quare ad §. 4. c. 2. p. 4. ex Constitutionibus Societatis allegatum dicendum, prohibitionem illam intelligi debere, quando obligationi Missarum celebrandarum ex mente Testatoris satisfieri deberet per ipsos Patres Societatis; nam Legatum cum tali onere relictum haberet rationem compensationis, & Eleemosynæ pro ipsis Missis à Patribus, vel Societate percipiendæ, cujus perceptio repugnat indubitanter Instituto ejusdem Societatis,

ut patet *Exam. cap. 1. §. 3. Const. p. 6. mod. c. 2. §. 7.* & sumptâ ex his *Regul. Sum. c. 27.* Confirmaturque ex Bulla Gregorii XIII. incipit *Salvatoris*. supra allegatâ, ibi, Societas nullam proorsus Eleemosynam, quâ ad quodvis ipsius Societatis ministerium vel opus dirigi intelligatur, admittit. Proinde etiam non obest, quod ex eadem Bulla *Num. 82.* objicitur, quippe cujus verba ibidem allegata eodem modo intelligi debent, quo *textus cit.* ex Instituto Societatis. Fortius urget *Canon. 10. Congr. Gen. 1.* ubi dicitur etiam non expedire, ut in nostris Ecclesiis erigantur Capellaniæ, quibus inserviunt Clerici Sæculares. Sed attendenda est ratio hujus Statuti, quæ

juxta Suar. tom. 4. de Relig. l. 4. c. 11.

est, ut tollatur occasio, & species ambitionis, aut lucri: ubi ergo talis lucri, & ambitionis species, aut occasio nulla datur, tanquam cessante causâ, cessat istud Statutum. Certe passim etiam in Ecclesiis Domorum Professarum videre est erectas Insupermodi Capellaniæ, quibus Sacerdotes externi satisfaciunt: cui usui assistit Decretum P. Oliva *Num. præc.* allegatum, ubi pro indubitato habet, à Societate admitti posse Hæreditates, & Legata cum onere Missarum, explendo per Sacerdotes externos.

Illud dubio omni caret, quod etiam admitti Legata à Domibus Professis possint: est in his Testator significat desiderium, ut nostri pro anima illius Missas celebrent, aut in Orationibus suis meminerint non jungendo ullam obligationem; nam pro hoc extat Rescriptum Generalis Præpositi 3. Aug. 1638. in verbis, *Domus Professa potest admittere Legatum, factum his verbis. Lego Domui Professæ 600. & rogo, ut dicant 100. Missas; quia non est obligatio.* Item datum Visit. Mediol. 27. Aug. 1595. ibi, *Potest Domus Professa admittere Legatum cum clausula, ut orent Nostri pro anima Testatoris in Missis; quia iste est communis modus loquendi eorum, qui dant Eleemosynam.*

QUÆ-

QUÆRITUR VI.

An Societati competat Actio ad exigendum in Judicio Legatum, quod ipsi, vel Domibus ejus, aut Professis, vel Coadjutoribus Formatis relictum est?

86. **R**espondeo, hic distinguendum esse inter Legatum, aut Hæreditatem relictam Collegiis, vel Domibus Probationis, & inter Legatum, vel Hæreditatem relictam Domui Professæ, aut ipsis Professis, & Coadjutoribus Formatis in Societate. Et quidem Collegia, ac Domus Probationis pro Hæreditate, aut Legatis directè sibi relictis in Judicio agere permittuntur, siue deinde illa consistant in Bonis mobilibus, siue in immobilibus, aut etiam in annuis Reditibus; nam horum omnium capacia per Institutum Societatis sunt, illorumque dominium, si eis donentur, vel per Testamentum relinquuntur, sibi acquirunt, non minùs, ac alia Monasteria aliarum Religionum capacium Bonorum in communi. Hæc autem Monasteria pro iis, quæ ipsis donantur, vel Testamento relinquuntur, ratione Juris, & domini pleni, quod ipsis hoc modo acquiruntur, agere in Judicio, & Jus suum prosequi ibidem possunt, ut indubitatum est apud omnes. Ergo etiam Collegia, & Domus Probationis Societatis.

87. Idem dicendum de Domibus Professis, si Legatum aut Hæreditas tali Domui relictæ consistat in Bonis mobilibus, vel immobilibus; nam horum ipsæ acquirunt dominium, & Jus Civile, ad talem rem sibi relictam repetendam: consequenter & ipsæ in Judicio Jus istud sibi quæsitum prosequi possunt.

Sanch. l. 7. Moral. c. 12. n. 19. Suar. tom. 4. de Relig. l. 4. c. 9. n. 14. Pelliz. Man. Regul. tract. 4. c. 2. n. 116.

Sub triplici tamen conditione, quarum prima respicit res mobiles, altera immobiles, tertia utrasque.

88. Prima Conditiõ, ut si res mobiles consistentes in pecuniâ, legentur, aut per Hæreditatem relinquuntur Domui Professæ, istæ non elocentur ad Censum; nam sic elocata haberent rationem Redituum annuorum, quorum Domus Professæ capax non est. Idque procedit, siue ipsa Domus Professæ elocationem hujusmodi faceret, siue darentur hæc pecuniæ alteri, ut elocet ad Censum, & annuos proventus concedat Domui Professæ pro fabrica. Ita ad casum, quò Domui Professæ Pragensi ad fabricam Domus, & Ecclesiæ relictæ est ampla Hæreditas 50. millium florenorum, cum aliqui vellent, ut ea Summa traderetur Casari, qui ipsam collocaret ad Censum, & ex annuis proventibus Eleemosynaliter fabricari curaret, & finita fabricâ, iterum donaret Domui, ad consilium PP. Assistentiam judicatum, & rescriptum est ad Provincia.

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

lem Bohemiæ s. Mart. 1667. non debere hoc fieri, sed ex ea summa fabricandum, quantum posset, reliquum remittendum Divina Providentiâ.

Altera Conditiõ est, ut Domus Professæ, si ei relinquuntur Bona stabilia, & his ad habitationem, vel honestam relaxationem non indigeat, illa opportuno tempore vendat, & pretium in usus suos impendat.

Sanch. l. 7. Moral. c. 12. n. 19. & constat ex p. 6. Const. c. 2. §. 6.

ubi solum absolute, & omnino Societati Professæ denegatur Jus Civile ad Eleemosynas perpetuas: consequenter ad Bona alia stabilia, & immobilia hoc Jus conceditur, cum conditione, ut si illa necessaria Domui Professæ non sint, vendantur. Claritùs habetur in Literis Apostolicis Julii III. incip. *Exposcit.* ubi dicitur, Societatem nec ad ulla Bona stabilia, præter ea, quæ ad usum proprium, & habitationem opportuna erunt, retinenda Jus aliquod Civile acquirere: unde per Argumentum à sensu contrario ex verbo *Retinenda* inferitur, eandem Societatem ad Bona stabilia sibi donata, vel relictæ habere Jus Civile ad effectum, ut vendat. Quod adhuc manifestius eruitur

ex Const. p. 6. c. 2. cit. §. 5. Lit. E.

ibi, *Non est habitura Societas Jus Civile ad rem ullam stabilem, nisi ad ipsius habitationem & usum esset opportuna: & expressè additur, Quidquid stabile illi datum fuerit, teneatur eo, quamprimum poterit, se exuere, ac vendere.* Atque adeò indicatur discrimen inter Bona stabilia ad usum necessaria, & non necessaria, ita, ut priorum Jus Civile, sine quo non potest à Societate fieri venditiõ, Domus Professæ in communi habeat semper ad retinendum, posteriorum verbò tantum ad effectum vendendi. Sanch. n. 19. cit.

Tertia Conditiõ est, ut Legato rei Immobilis, vel etiam mobilis non addatur conditiõ repugnans Paupertati speciali Societatis, qualis esset, si Domui Professæ relinquereetur pecuniâ, ut elocaret eam ad Censum, vel res immobilis non necessaria, ut illa semper conservaretur sub hujus dominio, vel usufructu. Quo quidem casu Pellizatus

Man. Regul. tract. 4. c. 2. num. 128.

existimat, probabiliter tale Legatum validum adhuc fore, rejectâ tali conditione, datque rationem ex Reg. 37. in 6. quia *utile per iniuriam non debet vitari;* ut proinde conditiõ ejusmodi, tanquam iniqua, potius rejicienda sit: cui putat non obitare

c. exiit. 3. de V. S. in 6.

ubi Nicolaus III. de simili Legato, relicto FF. Minoribus oppositum declaravit; nam hoc fecit in favorem Paupertatis illorum, consequenter non debet extendi ad Societatem Professam, utpote per se non spectans ad substantiam Paupertatis. Sed communior in Societate

eum Suar. tom. 4. de Relig. lib. 4. c. 9. num. 14.

G g 4

docet,

89.

90.

90.

92.

docet, tale Legatum, quod adjunctam habeat aliquam conditionem repugnantem Paupertati illius, fieri caducum. Hinc, cum Anno 1667. in *Majo* actum in *Consult. Assist.* fuisset de Bonis stabilibus, donatis Domui Professæ Neapolitanæ ad vitam unius è Nostris, judicatum est, talem Donationem admitti non posse. Excipit *Suar. c. 9. cit. n. 15.* nisi Hæres, rejectâ conditione velit ultrò dare vel ipsum Legatum liberum, vel æstimationem illius: tunc enim acceptari illud poterit, quamvis, ut ibidem addit Doctor *Eximius*, ad id Hæres non teneatur; quia illi constat, non fuisse talem voluntatem defuncti.

91.

Circa Legata annua, Domui Professæ relicta, distinguendum est, an illud sit unicum Legatum, an verò multiplex. Si unicum, quia solum ad commoditatem Domus Professæ Legatarie in annuas solutiones divisum est, potest eadem Domus Professæ pro tali Legato, saltem ad effectum, ut simul solvantur tota pecunia Legata, in iudicio agere; quia talis Legati Jus Civile ipsa acquirit, juxta dicta ad *Quaest. 3. Num. 73.* Secus est, si illud sit multiplex, & annua solutio facienda sit in commoditatem Hæredis ad eam obligati; nam annuorum Redituum capax non est Societas Professæ, ut ibidem dictum est *Num. 74.* Possunt autem etiam talia Legata accipi à Domibus Professis, si sponte offerantur: imò non repugnat earum Paupertati speciali, etsi Hæres, vel is, cui solutio talis Legati à Testatore commissâ est, ex vi aditæ per hunc Hæreditatis cum oneribus annexis, consequenter ex vi Contractus, vel quasi Contractus, cum eodem Testatore explicite, vel implicite initi teneatur in conscientia ad tale Legatum annuum solvendum, modo obligatio Justitiæ nulla detur respectu ipsius Societatis Professæ; nam hoc modo relicta Legata accipere possunt, & solent etiam FF. *Minores*, & reliquæ Religiones, quæ possessionis Bonorum in communi sunt incapaces. Et tunc, licet Nostris ad hujusmodi Legata annua recuperanda nulla competat Actio, pro iis tamen ut illa solvantur, agere potest Civitas, vel ejus Syndicus aut quilibet de populo, tanquam quæ pro pauperibus relicta censentur,

ut notat *Sanch. l. 7. moral. c. 27. n. 10.* quod ipsum idem *Sanch. c. 26. preced. num. 58.* admittit in FF. *Minoribus*.

92.

Quoad Legata, relicta Professis, & Coadjutoribus Formatis in Societate, distinguendum, an illis Legati nomine relicta sint Bona immobilia, aut stabilia, quæ unica solutione præstari possunt, an verò Reditus annui, in singulos annos, menses &c. solvendi. Si primum, tam Collegia, & aliæ Domus, quam ipsæ Domus Professæ talia Legata acceptare, & in iudicio pro iis agere possunt; in his enim conveniunt cum Monasteriis aliarum Religionum, Bonorum in communi possidendorum capacibus: pro-

inde sicut ista, pro bonis quæ Professis acquiruntur, iis actionibus agere possunt, quæ Professo ante Professionem competere, ita & Domus istæ, cum etiam istis acquirantur, quæ Professis earum acquiruntur. Si verò secundum, & Professo, vel Coadjutori Formato relictum sit Legatum annuum post Professionem, & ultima Vota, pro tali Legato agere quidem potest Collegium, cui per Præpositum, Generalem hoc applicatum est, quippe quod ex vi Instituti Societatis ad Reditus annuos capacitatem habet; non verò Domus Professæ, nisi ab Hærede, cui incumbit solutio, ultrò solvantur, cujus ratio est incapacitas istarum Domuum ad annuos Reditus. Hinc Anno 1581. Rescriptum est Domui Professæ Valentinae his verbis, *Admitti potest Eleemosyna, cuidam Professo ad vitam relicta, monendus tamen is, cui illius solutio est imposta, nullam à Societate prætendi Jus ad illam:* pro qua additione Fundamentum sumitur ex Bulla Julii III. incipit *Exposcit.* Ubi de Domibus Professis, ipsiusque Professis, & Coadjutoribus Formatis dicitur, istos non solum privatim, sed neque etiam communiter posse pro Societatis sustentatione, aut usu Bona aliqua stabilia, aut ad proventus, seu introitus aliquos Jus aliquod Civile acquirere: consequenter actio ad petendum Juridice tale Legatum, Professo, aut Coadjutori Formato nulla competit.

Videantur, quæ dixi ad *Quaest. 3. dub. 2. Num. 67. & seqq.*

Simili ferè modo dicendum de Legatis, quæ Professo, vel Coadjutori Formato relicta sunt ante Professionem, aut ultima ejus Vota publica. Nam si iste ante Professionem, aut Vota ista emissa renuntiationem omnium Bonorum, & Jurium suorum in favorem Societatis fecit, Societas Bona renuntiata, consequenter etiam Legata, quæ unica solutione præstari possunt, in iudicio sibi vindicandi Jus habet. Si verò Legata sint annua, pro iis agere Collegia, & Domus Probationis poterunt, non verò Domus Professæ, saltem ad finem, & effectum percipiendi præstationes annuas, quamvis Jus ad illas, sicut & Jus Censûs annui Domus istæ quando ad ipsas defertur, probabiliter possit vendere: de quo vide dicta ad *Quaest. 1. & ad Quaest. 3. dub. 3.* Ex hæctenus dictis, patet.

Resolutio præsentis Casus.

DICENDUM igitur, nondum factum esse locum Substitutioni, quâ Testator voluit, ut post mortem Sempronii, & filiorum illius Reditus annui Legati restituerentur Confraternitati S. P. Vel enim Legatum hoc factum est, antequam duo Patres Nostrî, superstites Sempronii filii, emisserint Professionem solennem, vel post illam. Si primum, isti per Renuntiationem omnium Bonorum, & Jurium suorum præ-

tium, & futurorum, factam in favorem Societatis, in hanc etiam Jus suum, quod iis Testator ad istud Legatum per ultimam suam Voluntatem dederat, trans miserunt: consequenter ipsa Societas, saltem quoad Domicia, Redituum annuorum capacia, in hoc Jure succedet, non quidem ex vi Professionis, ut alia Religiones Hæreditariae Successionis capaces, sed ex vi Renuntiationis, & liberalis Donationis omnium dictorum Bonorum, & Jurium, facta in favorem Societatis, ut dictum est ad *Quaest. 1. Num. 24. & seqq.*

95. Si secundum, & factum est Legatum hoc post Professionem, à dictis Patribus jam emissam, cum Professi, & Coadjutores Formati capaces sint Legatorum, etiam annuorum, saltem si ista applicentur Collegio, vel alteri Domicilio talium Redituum capaci, tale Legatum in personis illorum obtinebit eritque validum, ut dictum est ad *Quaest. 3. dub. 2.* Proinde, dum ipsi vixerint, excludetur Confraternitas memorata, substituta à Testatore, usque ad mortem naturalem prædictorum nostrorum Patrum juxta dicta ad *Quaest. 4.*

96. Proinde consecutioni hujus Legati non obert Institutum Societatis, juxta quod illi, qui per Professionem, aut Vota publica Coadjutorum eidem adscripti sunt, omnis Hæreditariae Successionis sunt incapaces; nam incapacitas hæc, & inducta inde Mors Civilis, quæ mortu naturali æquiparatur, & quoad personas illorum Professorum, & Coadjutorum Formatorum tantum operabitur, ut ipsi sibi nihil possint acquirere; quoad Societatem autem, ut hæc, præcisâ Renuntiatione, non possit in Bona, & Jura illorum succedere, ut dictum est in solutione Objectionum ad *Quaest. 1. à Num. 12.*

97. 2. Non obest, quod hoc Legatum sit annuum; nam imprimis tale Legatum applicari potest Collegio, vel Domui talium Re-

dituum capaci, in quem finem, ut retineri possit tale Legatum, Professus consultò ex Domo Professa transmitti potest ad Collegium, ut adveniente die Legati adipiscendi possit Collegium retinere annuos illos Reditus Legatos, ut dictum est ad *Quaest. 3. Num. 71.* Quod verò attinet ad Domus Professas, licet istæ non possint habere Jus Civile ad petendos, & percipiendos annuos fructus talis Legati, tamen ipsum Jus ad tales præstationes ex probabili aliquorum Sententia possunt vendere, sicut vendere possunt annuos Censu sibi Legatos, ut dictum est eadem *Quaest. 3. Num. 75.* Et esto, Domus Professa tale Jus vendere non posset, si tamen Testator obligationem istud Legatum annuum præstandi Hæredi imposuit, & iste cum hæc obligatione Hæreditatem sibi relictam acceptavit, tenebitur ille in conscientia ad solutionem: quo casu, ut dictum est *Num. 91.* quilibet de populo pro his præstationibus solvendis agere poterit, licet agere non possit Domus Professa, eo prolius modo, quo id ex communi dicitur de Legato annuo relicto FF. Minoribus.

3. Non obstat, quod Legato huic sit annexum onus Missarum, singulis hebdomadis dicendarum in Ara S. Annæ; nam, ut ex Specie Facti constat, cum Legatum istud relictum sit etiam pro Laicis, ex mente Testatoris oneri huic satisfieri potest per alios Sacerdotes. Atqui, ut patet ex dictis ad *Quaest. 5.* si oneri Missarum satisfieri potest per Sacerdotes extraneos, non repugnat Societatis Instituto acceptare Legatum cum tali onere: ut proinde nullatenus probatum sit Jus quò prætendit succedere in hoc Legato Confraternitas S. P. ante mortem duorum PP. Nostrorum Professorum. Ita salvo meliore &c.

98.

CON

